
PSEVDOCICERO,

DIALOGVS

HENR. STEPHANI.

In hoc non ſolùm de multis ad Cicero-
nis ſermonem pertinentibus, ſed etiam
quem delectum editionum eius habere,
& quam cautionem in eo legẽdo debeat
adhibere, lector monebitur.



ANNO M. D. LXXVII,
Excudebat Henr. Stephanus.

CLARISS. VIRO,

IOANNI SAMBVCO.

HENR. STEPHANVS S. D.

NON *dubito, uir clariſſime, quin tu cuiuſdã mei ſermonis tecum* Viennæ Auſtriæ *habiti recorderis: quum dicerem nullum eſſe ſcriptorem non ſolùm de lingua* Latina *ſed etiam de humanitatis ſtudiis melius meritum* Cicerone, *& uix tamẽ ullius ſcripta peiore loco partim fuiſſe, partim eſſe: quòd multa ex uulneribus quæ ignorãtia ei intuliſſet, quorundam ſiue medicorum ſiue chirurgorum audacia maiora reddidiſſet: ita ut in eius ſcriptis illud ingenioſi poetæ experiremur,*

Curando fieri quædam maiora uidemus

Vulnera: quæ melius non tetigiſſe fuit.

Eò certè res rediit, ut quum aliquid ex Cicerone *nobis afferendum eſt, ex iis præſertim locis qui aliquid paulo difficilius uel minus uſitatũ habẽt, multas priùs editiones non ſolùm ex uetuſtioribus uerumetiam ex recẽtioribus conſulere neceſſe ſit: atque operam dare ne uel illarum ignorantiam non animaduertere, uel ad harũ audaciã cõniuere uideamur: ſimúlq; cauere ne uel ea quæ librariorũ incuria ſimul & inſcitia* Ciceroni *affinxit, nos quoq; illi affingamus: uel, quæ uerè ſunt illius, ideo quòd à noſtris auribus abhorreant, ei detra-*

bamus: ut denique nec illa quæ Pſeudociceronis ſunt, pro Ciceronianis, nec quæ ſunt Ciceronis pro Pſeudociceronianis habeamus. At multi contrà, quicquid in aliquo exẽplari uetuſtatẽ præ ſe ferẽte offendũt, ἀβασανίστως (ut Thucydides loquutus eſt) recipiũt: & in hunc uel illũ Ciceronis librum, perinde ac ſi oraculũ aliquod ſermonem Ciceronis purũ putũ eſſe teſtaretur, intrudũt: quũ tamẽ ueteribus libris nõ minus temerariũ ſit fidem ſubitò adhibere quàm derogare. Hoc autẽ nemo melius te nouiſſe poteſt, qui tã multos quotidie in iſta tua inſtructiſſima & locupletiſſima bibliotheca, non ſine magno utriuſque linguæ ſtudioſorum fructu, peruolutas. Sed quanuis tu non modò monendus hac de re non ſis, ſed optimus aliorum monitor eſſe poſſis, meum dialogum Pſeudociceronem, qui alios quamplurimos monendi munus ſuſcepit, non indignum, ut ſpero, cenſebis cui aurem pauliſper commodes.

At ego (dices) meum Dioſcoridem à te expectabam: cum quo nihil commune habet tuus Pſeudocicero. Ne igitur in immerentem Pſeudociceronem, longiore expectatione tui Dioſcoridis offenſus, ſtomachũ erumpas, huius editionem cum magno ſtudioſorum medicinæ commodo differri ſcito: ut uno eodémque tempore & tuis illis utiliſſimis caſtigationibus uelut renouatus, & noua interpretatione Latina donatus, prodeat. Vale.

PSEVDOCICERO,

DIALOGVS HENRICI STEPHANI.

Perſonæ dialogi,

PAVLVS, ANTONIVS, DIONYSIVS.

QVID vos ad me tam mane? ANT. Imò vix ipſum mane expectare potuimus. PAV. Eo magis miror quídnam ſit quod me vultis. Non leue erit, opinor, quicquid erit. DIO. Audin' Antoni quod à Paulo dicitur? Non leue ſibi futurum illud putat cuius cauſa venimus: at nos minimè graue illi fore exiſtimabamus. PAV. Audin' Antoni Dionyſium tam mane cauillari incipientem? Niſi fortè argutari appellare hoc malis. DIO. Quaſi verò bene mane iocari non liceat. P. Quaſi verò cauillari alicuius dicta, ſit iocari: aut, ſi iocari ſit, ſit bene iocari. AN. At tu iam illi par pari refers, Paule, ad cauillationem quod attinet. neque enim ſe mane bene iocari, ſed bene mane id à ſe fieri dixit. Verùm miſſa hæc iocularia facia-

mus, Dionyſi, & ad ſeria veniamus. PAV. Hoc ſaltē iam intelligo, ſeria eſſe ea de quibus ad me veniſtis: ſed qua de re ſeria in illis veſtris feriis agere velitis, iā nūc exponite obſecro. DI. Audies, vbi te compſeris. PAV. Atqui, ſi me compſero, verear ne aliquis me prætereuntem digito oſtēdat, & in me Ouidianum illud iactet,

Sint procul à nobis iuuenes ut fœmina compti.

D. Non tantùm dicit, Iuuenes compti, ſed Iuuenes compti vt fœmina: de iis loquens quorum non virilis ſed fœmineus eſt comptus: ideſt, eiuſmodi qui non virum ſed fœminam deceat. PAV. At ego ſecus expono, & poetæ huius iudicio (eodem iuuenes comptos, quo fœminas, loco habētis) quēuis comptū fœminā non vlrū decere dico. A. Iocaris Paule, ſat ſcio: ac tuæ nimię circa comptum cultúmque corporis negligētiæ vis hunc Naſonis verſum patrocinari. DI. Hoc certè conſtat, Paule, te aſsiduè literarū ſtudio ſic ardere vt procul non dicam ab illa Naſonis reprehēſione ſed etiam ab illius rei quam reprehendit ſuſpicione abſis. Tu enim (vt ex fratre tuo nuper audiui) quantū etiam temporis cibo, quātum ſomno capiendo impendis, tantum illi ſtudio detrahi quereris, ac tantum tibi perire exiſtimas. PAV. Cùm alios certè omnes tum verò eos

vel maximè qui ſe literarum ſtudiis addixerunt, cogitare decet, ſe non viuere vt edāt, ſed edere vt viuant: & παχῖαν γαστέρα, vt ſtudiis valde inimicam, reformidare. Verè enim dictum eſt,

Παχῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

ANT. Sed cauendum eſt interim Muſarum cultoribus ne alteram in partem peccent, (quemadmodum

Dum uitant ſtulti uitia in contraria currunt)

&, dum timēt ne genio nimium indulgeāt, illum defraudent. Atque vt eos imitari nō debent qui ſpeculū etiam conſulunt de iis quæ ad cultum corporis pertinent (quod non dubito quin Naſoni in mentem de iis venerit de quibus illud dixit, *- ut fœmina compti*) ita etiam omnē prorſus eius cultum omnéſque munditias minimè auerſari eos decet. PAV. Nec genium certè defraudo, nec munditias neceſſarias, & in quibus nō multū temporis conſumitur, aſpernor. DI. Soléſne ſtatim à ſomno in bibliothecam & in literas te abdere? vtroque enim modo Ciceronem loqui memini. PAV. Soleo equidem, ſimulatque veſtimentis me inuolui, literis inuoluere: ne tu ſolus Ciceronianè loquaris.

A. Si igitur moleſtū non eſt, in bibliothecā te comitabimur, atq; ibi exponemus quid-

nam te velimus. PAV. Literarium aliquod negotiũ vos huc adduxit, quantũ ſuſpicari iam poſſum. AN. Literaria profectò quædam controuerſia: quam ibi ex nobis intelliges. PAV. Ceſſamus igitur nos eò conferre? AN. I præ, ſequemur. DI. Certiſsimũ argumentum hominis valde ſtudiis dediti hac in bibliotheca video. PAV. Quódnã illud eſt? DI. Quòd libri ſuas in ſedes repoſiti non ſunt, ſed ſparſi atque confuſi, aliicubi etiã alii aliis ſuperpoſiti. PAV. Cur tàlem bibliothecam, hominis valde ſtudiis dediti eſſe indicium putas? DI. Quoniam ita defixam in ea quæ legit cogitationem habet, vt vel momentum temporis quod vni libro reponendo impẽdatur, magnum eius auocamentum eſſe putet. PAV. Imò vel negligentis, vel nimium propter alias occupationes feſtinantis, talem bibliothecàm eſſe quiſpiam diceret. ANT. Ad te autem quod attinet, feſtinationem, ſat ſcio, non negligentiam cauſaberis. PAV. Maximé. DI. Vereor, Antoni, ne aliam etiam ob cauſam ita ſparſos ac confuſos iacere in bibliotheca libros ſinat Paulus. ANTO. Quid eſt, amabo, quod vereris? DI. Ne docti famã ea ex re aucupetur. ANT. Quomodo? DI. Quoniam hoc ipſum vulgò de doctorum virorum bibliothecis audio nar-

rari. PAV. Semper ad ingenium, id eſt ad ſuas iocationes, redit Dionyſius. AN. De te quidem certè hoc non aliter quàm ioco dicit: ſed verum interim eſt, eam eſſe multorum de virorum doctorum bibliothecis opinionem. PAV. Talis eſt hæc profectò qualis & de illorum manu opinio. quoniam enim pleriſque illorum qui noſtra aut ſuperiori ætate doctrina excelluerunt, non itidem fuit docta, quod ad ſcripturam attinet, manus, ſunt qui malæ & ineleganti ſcripturæ cum doctrina ſympathian aliquã eſſe perſuaſum habeant. AN. Incidi & ipſe in quoſdam qui illud ſibi perſuaſiſſe viderentur. DI. Ego verò nominare etiã quoſdam poſſem quos hanc opinionem, velut philoſophicum quoddam dogma,non ſolùm proponentes, ſed etiam defendentes (defendere quidem certè conantes) audiui. Sed non æquum eſt, Antoni, nos tamdiu Paulũ tenere ſuſpenſum expectatione eius de quo ipſum adiimus. PAV. Rem mihi gratam facis Dionyſi,qui me tamdiu expectatione, vt ipſe quidem loqueris, ſuſpenſum teneri, vt autem loquor ego, angi & torqueri nolis. ANT. Expone igitur illi, Dionyſi, cõtrouerſiam de qua ſumptus eſt à nobis arbiter. DI. A te ſatius eſt eam narrari: ne me in illo quoque ſermone iocari

dicat. ANT. Imò agi de re ſeria ſtatim animaduertet. DI. Vel potius ridicula. AN. Quid ais? aliquídne ridiculi noſtra controuerſia habet? DI. Non meminiſti eam de facetis eſſe, quos & facetoſos dici contẽdo? & facetos poſſe ridiculos etiam appellari? Non enim ridiculi ſunt Latinis illi ſolùm quos Græci γελοίους, ſiue καταγελάστους dicũt, ſed etiã qui ab illis γελοιασταὶ vocãtur, aut γελωτοποιοί. (quanuis hoc poſterius, magis odioſa eſſe videatur eorum appellatio qui ipſam etiam ſcurrandi artem factitant) qua autẽ hi alia re quàm facetiis riſũ mouẽt? A. Scio ego, Latinis Ridiculus duos vſus habere (ſicut Græcis γελοῖος: quãuis quidã grãmatici illos accentu diſtinguant, vt in vno, γελοῖος, in altero, γέλοιος ſcribatur) & Ridiculus ac Facetus poſſe coniungi, vt γελοῖος atq; ἀστεῖος coniuncta inueniũtur: ſed tamen hoc à te dici nec debuit nec potuit, in noſtra cõtrouerſia de re agi ridicula. PAV. Qualis ea ſit res qua de controuerſamini neſcio: ſed voſmetipſos, ridiculos, id eſt γελοίους & καταγελάστους, eſſe ſcio, qui ne veſtram quidẽ controuerſiam ſine controuerſia exponere mihi poſſitis, ac me interim magis etiam quàm antea ſuſpenſum teneatis. ANT. Nõ animaduertiſti igitur quod à Dionyſio dictum eſt, eos qui Faceti vulgò dicantur, à

ſe Facetoſos etiam appellari? P. Non equidem. Eáne autem de voce veſtra eſt altercatio? AN. Non de alia. PAV. Quid audio, Dionyſi? DI. Miráne audire tibi videris? P. Non tantùm mira, ſed magna ſeu nimia mira, vt Plautinis verbis vtar. Itáne FACETOSI à meo Dionyſio appellantur qui ab aliis Faceti vocantur? DI. A me certè vox Faceti nequaquam reijcitur, ſed altera illa non minus admittitur. P. Fierine poteſt vt hoc ſeriò dicas? D At tu fierine poteſt vt tàtopere hoc à me dici mireris? PAV. Antea quidem te pariter & Antonium ridiculos alia de cauſa appellaui: at nunc de Antonio taceo: ad te verò quod attinet, ſi tibi licere dicis Facetoſum aliquem pro faceto vocare: & mihi te Ridiculoſum pro ridiculo nominare liceat volo. Caue autem ne etiã extemporaneum hac de re diſtichum in te iaciam. ANT. Id iacias velim. PAV. Imò Dionyſio parcere volo. ANT. Cur illi parces qui tibi antea in ſuis iocis non parcebat? DI. Te deprecatore opus mihi nõ eſt: nec poſtulo vt mihi parcatur. PAV. Caue tibi, inquam, quandoquidem adeo magnificè loqueris. DI. Minæ tuæ hanc magniloquentiam mihi non excutiet. PAV. Bilem mihi iam moues. audi,

Qui facetoſus faceti uult uicæ dici,
Is pro ridiculo ridiculoſus homo eſt.

DI. De hoc vocabulo Ridiculoſus ipſe videris, qui tibi poteſtatem vis fieri, me ridiculoſum non minus appellandi quàm ridiculum: ego certè minus audax, non illa ſed hac voce te referiẽs, ridiculũ eſſe aio, qui de nomine illo Facetoſus dubitationẽ moueas. P. Tún' ridiculã meam dubitationem eſſe ais? D. Aio. P. Sed affirmationẽ potius quàm dubitationẽ dicito. quandoquidem planè affirmo vocabulum illud Latinitatis finibus minimè comprehendi. D. Antonio velle te gratificari arbitror, quem ego iam riſum vix poſſe compeſcere video. P. Imò, quum me ſiue iudicem ſiue arbitrum conſtitueritis, à neutro veſtrûm ſed à veritate ipſa (vt par eſt) inire gratiam cupio. D. Atqui pro me ſtat veritas. P. Quã mihi veritatem narras? DI. Ipſius Ciceronis autoritatem. ánnon enim huic, vt locupletiſsimo & certiſsimo teſti, fidem habendam eſſe fateberis? P. Magnæ certè impudentiæ eſſet fidẽ ei derogare. ſed vide ne fallaris. D. Cedo mihi Nizolium, vt memoria non falli me videas. P. Haud ſat ſcio in qua huius bibliothecæ parte deliteſcat: eo enim rariſsimè vtor. ſed quærendus eſt. D. Antoni, Antoni, ſimul atque comparebit Nizolius, te

triumphũ ante victoriã ceciniſſe cognoſces. A. Non totũ triũphũ, ſed tantillam eius partẽ me ſpe præripuiſſe fateor. D. Quotã cũque certè partẽ eius ſpe præripueris, in te iactari prouerbiũ poterit, *λύκος μάτην χανών*. P. Nizolium nuſquam reperio: ſed pergã quærere. D. An Paulum rectè loquutum cenſes Antoni, quum à ſe Nizolium reperiri poſſe negauit? AN. Quidni rectè loquutũ cenſeam? D. Quia Reperire (ſicut & Offẽdere) is dicitur qui caſu aliquid & non quæſitum nanciſcitur: ideóque dicit Ceres filiæ, *– tu non inuenta, reperta es*. Potius itaque à ſe inueniri non poſſe, dicere debuit. A. Iratus es Paulo Dionyſi, quòd iam ſententia ſua te damnauerit. hinc certè fit vt tam ſeuerè in ſermonem eius inquiras. At ego tibi pro illo, & quidem illius verbis (ſcio enim qua defenſione ſit vſurus) dum in quærendo libro illo eſt occupatus, reſpondebo. Ita igitur habeto: primũ quidẽ & propriũ videri eum quem dixiſti verbi Reperire vſum, ſed poſtea latius extenſum fuiſſe: ſicut in multis aliis verbis cõtigiſſe cernimus. Atque hoc vel ex iſto Terentij loco (quem oppono illi Ouidiano) manifeſtum eſt, *Sed ubi Antiphonem reperiam, aut qua quærere inſiſtam uia?* P. Nizolius nuſquam comparet, Dionyſi. A. Non bona fide vſum te in eo

quærendo putabit Dionyſius, niſi eum tandem repereris, aut (vt dicendum putat ipſe) inueneris. D. Quid hoc ſibi vult, Non bona fide in quærendo vti? A. Non ſedulò quærere. ſi quidē verum eſt Sedulò dictum eſſe pro Sedolò, quaſi Sine dolo. P. Iucundū tibi nuntium affero, Dionyſi. en tibi Nizoliū. A. Imò non tātùm nuntium iucundum, ſed iucundam victoriam, iucūdū triumphū illi affers. D. Quod nunc ioco à te dicitur, faxo vt ſtatim ſeriò dicas. Sed quænam hæc eſt Nizolii editio? A. Aſtutè agit Dionyſius: nec temere rogat quænā hæc ſit editio. Nimirum vt te non bona fide vſum dicturus erat, niſi Nizolium inueniſſes, ita malā typographi allegabit fidē, ſi, quod apud eū ſe oſtēſurum recepit, non inuenerit. PAV. Ego certè, quamuis fidem aut diligentiam typographi minimè præſtare debeam, tamen eam à me afferri dicam cuius maxima, & maior fortaſſe quàm alius cuiuſquā, eſſe debeat autoritas. Ea eſt enim quæ ex Italia anno M.D.XXXV prodijt. D. Omnino legitur ſpero fore vt in ea vocem illam quam ex pla uditis inueniam. P. Per me equidem non ſtabit quominus eam quæras: ſed vereor ne oleum atque operam perdas. D. I. At non multū ſaltem olei atque operæ perdidero, ſi eam à me fruſtra quæſitā eſſe con-

tingat: quum non multũ temporis in quærendo ponere oporteat. PAV. Multa certè ſunt in Nizolio, de quibus fidem illi nequaquam habeo: ſed minimè tamen hoc apud eum extare mihi perſuadere poſſum. Tibi verò Antoni an perſuaderi queat? ANT. Niſi quiduis potius quàm hoc crediddiſſem & credere potuiſſem, ad te non veniſſemus. Sed vereor tamen ne nobis tandem credẽdum ſit. iam enim perinde ac ſi inuenerit, magis hilari vultu eſſe mihi videtur. DIO. Εὕρηκα, εὕρηκα, εὕρηκα, vt clamauit quõdam Pythagoras. P. Δεῖξον, δεῖξον, δεῖξον. DIO. Ἰδού, ἰδού, ἰδού. P. Video hîc eſſe ſcriptum, *Facetoſus, a, um.* Cic. de Fin. 86. b. *Facetoſa urbanitas.* Ac fateor certè: videre me quod viſurum minimè putaram: ſed caue putes me tam citò manus tibi daturum. Ex vnico enim Ciceronis loco vocem illam affert, qui ſuſpectus eſſe poteſt. D. Imò, niſi pudor obſtaret, iam te paratum herbam mihi porrigere diceres, potius quàm eiuſmodi effugia quæreres. P. Quidni verò quem huic loco ſubeſſe puto errorem coner effugere? aut quomodo hoc effugiũ præcludere mihi potes? quòd ſi etiam poſsis, debes? Ipſum enim Nizolium in mẽdoſum Ciceronis locum, tanquam in laqueos quibus irretiretur, incidiſſe puto: idem ne mihi accidat

operam dare volo. D. Per me tibi licet de loco illo quæcũque voles exemplaria conſulere: dummodo vbi aſſentiri illa compereris ei quo Nizolius vſus eſt, nihil cauſæ dicas quin, ſi herbam mihi porrigere erubeſcis, at certè alio quopiam modo te victum, me victorem agnoſcas. PAV. Placet conditio. ac primùm editionem Roberti Stephani, quæ prodijt Pariſijs anno M.D.XLIII, conſulendam cenſeo. D. Equidẽ & in ea meam illam lectionem victricem (ita enim appellare liceat) inuentum iri ſpero. P. Ecce tibi illam. quærendus eſt locus. DI. Sed tu Antoni qui paulo antè qualibet cornice, qualibet rana eras loquacior, quî repentè quouis Areopagita aut Pythagoriſta factus es taciturnior? A. Quid? putaréſne fieri poſſe vt quæ mihi erat animi alacritas dum victoriam ſpe deuorabã, eadem nunc maneret quum malè metuo ne pro victore victus diſcedam? Ne ab ipſo quidem Socrate fortaſsis exigendum hoc eſſet: quem tamen nunquam de gradu deiicj ſolitum ferunt. PAV. Velim, Dionyſi, ipſemet legas locum illum in ea quam dixi editione. DI. *Res tota, Torquate, non doctorum hominum, velle poſt mortẽ epulis celebrari memoriam ſui nominis. Quos quidem dies quemadmodum agatis, & in quantam hominum facetorum urbanita-*

tem incurratis, non dico: (nihil opus eſt litibus) tantùm dico, magis fuiſſe ueſtrum, agere Epicuri diem natalem, quàm illum teſtamento cauere ut agretur. P. Vlterius progrederis Dionyſi quàm opus ſit. verùm oculos (vt opinor) in librũ diuti' defixos libenter teneres, quòd eos te pudeat in nos cõuertere. D. Itáne me repentè mente cõcidiſſe arbitraris? Cæteræ editiones conſulendæ ſunt. P. Si hîc alterã eiuſdem Roberti Stephani haberem (eam dico quæ aliquot ante illam annis prodierat, grandi forma) hunc locum in ea quoque legeremus: ſed illam mea ruſticana bibliotheca cuſtodit. Víſne igitur illam conſulamus quam frater eius Carolus Stephanus eadem forma ſed longo pòſt tempore publicauit? D. Volo. dicere enim me nolle, nihil quicquam profuerit. A. Ex illo magno timore recreare me incipio. D. At ego magam illam ſpem cœpi iam amittere. P. En tibi locum illum in ea etiam cuius memini editione Caroli Stephani, *& in quantam hominum facetorum urbanitatem incurratis.* non autem, *facetoſam urbanitatem.* D. Malè narras certè. AN. Imò bene narras Paule. perge obſecro quas habes editiones conſulere. P. Malum nuntium afferre me non diceres, ſi editiones proferrem quæ illam Nizolianam lectionem (quam & tuam vo-

care poſſum) haberent. D. Fateor: ſed rore tamen ſpero vt aliquam quæ mihi patrocinetur inuenias, ſi nullam earum quæ apud te ſunt, me celaueris. P. Non ſecus hac in re tecum agam, quàm ſi iureiurando à Solone quopiam, aut etiam Dracone, adactus eſſem. Veniendum autem cenſeo ad illam editionem cui Lambinus præfuit. D. Non ſatis intelligo quid ſit illud Præfuit. P. De ea loquor in quã ille omne ſtudiũ omnémque operam, omne ingeniũ & iudiciũ, ſuas denique omnes facultates literarias contulit. D. Multos de illa non bene ſentire ſcio. P. Ipſe quoque illam apud nonnullos malè audire nõ ignoro. DI. Quid cauſæ eſt? P. Si partim ex rumore, partim de meo ſenſu, vis tibi ad id quod rogas reſpondeã, nihil magis in ea diſplicere omnibus exiſtimo, quàm quòd ſuis quoque coniecturis in ipſo etiam textu (vt vulgò appellatur) locũ dare auſus fuerit. DI. Omnibúſne locum in eo dedit? P. Non omnibus certè, ſed pleriſq;. Alioqui egregia multa habere illam fatendum eſt. D. Vnde ſunt illa egregia?. PAV. Ex vetuſtis exemplaribus, tum quæ ipſe nãciſci potuit, tum quæ multi alij ante ipſum nacti fuerant, & quorum lectiones à vulgatis diuerſas annotauerant. Quinetiam ex accuratiſsima cum variis ſuperiorum tem-

porum editionibus collatione. D. Diligentiam ergo magnam adhibuit. P. Non magnam tantùm, ſed longè maximam ; vt teſtantur vel quæ ſuæ ad lectorem præfationi ſubiunxit nomina eorum qui ante ipſum in emēdando Cicerone aliquid operæ poſuerunt, quíve eum aut coniecturis probabilibus aut libris veteribus adiuuerunt. D. Multóſne enumerat? PAV. Plures ſexaginta. D. Cuius nationis? PAV. Roga potius ex qua natione aliquos non nominauerit: quum ad Sarmatiam vſque ſeu Poniam peruenerit. Sed maior tamen Gallorùm & Italorum quàm aliorū ſimul omniū eſt numerus : & quidem illorum multo maior quàm horū. Italia enim octodecim dūtaxat, Gallia autem triginta illi adiutores ſuppeditauit. D. Valde diuerſis tēporibus, opinor. P. Sanè quidem: ſic tamē vt omnes partim auorū noſtrorū ætate partim noſtra aut vixerūt aut viuant. Niſi quis Politianum (cui nō ſecūdus inter Italos locus dādus erat, ſed primus, potius quàm P. Bēbo) ex eorū numero excipiēdū putet quos aui noſtri videre potuerint. DI. Multóſne ex ijs qui ab eo nominātur in viuis eſſe putas? P. Nequaquā. nā ex illis octodecim Italis quatuor tātùm ſuperſtites eſſe arbitror, Petrū Victoriū, Carolū Sigoniū, Gabrielē

Faërnum, Leonardum Malamſpinam: cuius emendationes ac ſuſpiciones (ita enim vocat) in epiſtolas Ciceronis ad Atticum, Brutum & Q. fratrem, editæ fuerunt Venetijs anno M. D. L X I I I I. Petrum autem Victorium inter illos non ponerem qui ſuperāt & veſcūtur aura ætheria, niſi triſtitiā quam omnibus literarum amatoribus ſparſus de illo ante menſes aliquot rumor attulerat, diſcuſsiſſet iucundus qui nuper acceptus eſt de illo ſoſpite & incolumi nuntius. D. Illum ex ijs eſſe puto qui primi editiones operum Ciceronis emendatiores nobis dederint. P. Imò ſi primum & velut coryphæū poſueris inter illos qui primi aliquam vulnerum Ciceronis partem ſanauerunt, non erraueris. D. Ex Gallis autem qui ab eo nominantur multíne ſunt ſuperſtites? P. Ex illis octodecim Italis quatuor tantùm ſupereſſe dixi: at illorum triginta Gallorum pars ſaltem (vt opinor) tertia nondū occubat vmbris felicibus. Ita enim dicere malo quàm crudelibus. D. Eorum quoque nomina ede. P A V. Cur non potius huic ſermoni finem vis imponi? A. Æquū poſtulat, vt quū peregrinorū nomina proferre grauatus non fueris, tuos nominare graue tibi nō ſit. P. Atenim ille Italorū catalogus fuit facilè numerabilis, vtpote par-

uus;

uus, quemadmodũ loquitur Flaccus: meorum autem Gallorũ non item. A. Plus certè temporis in te excuſando quàm in illis enumerandis conſumes. P. Decem enumerare, longum non eſſe fateor: ſed fieri non poteſt quin illi enumerationi ſermones interueniant qui nos procul ab eo qui inſtitutus eſt abducant. A. Non eſt, Paule, quòd timeas ne tam procul abducaris vt in viam à nobis reduci nô poſsis. P. Libétne ſubiungam vnicuique illud quod ibi adiectũ eſt elogium? D. Quidni? P. In eo igitur numero eſt Erricus Memmius Pariſinus, ſupplicũ libellorũ in regia magiſter: quem vnum plura quàm cæteros omnes, ſuppeditaſſe vetera exemplaria teſtatur. Ex iis qui eandem dignitatem obtinent, eſt Petrus Faber, Toloſas, Sangiorius.

Hunc præcedit (eo quo illic collocantur ordine) Germanus Valés Pimpuntius, Aurelius, conſiliarius regis: ſequitur autem Iacobus Cuiacius Toloſas, iuris ciuilis interpres. Cuiacium Bernardus Briſſonius, iuriſconſultus & actor cauſarum. Briſſonio ſubiungitur Io. Auratus, Græcarum literarum Lutetiæ doctor regius. Huic proximus eſt, vno excepto, Fr. Hotomanus, iuriſconſultus & legum interpres. Cæteri autem ſunt hi (inter quos tamen & proximè præceden-

tes interiecti ſunt nonnulli) P. Pitœus, iuriſconſultus & actor cauſarũ: Erricus Stephanus, Roberti Stephani filius, orator & philoſophus: Ioſephus Scaliger, Iulii Cæſaris filius, poeta & philoſophus. D. Non audes illum à te propoſitum numerum denarium excedere? P. Imò ad duodenarium poſſum peruenire. omiſeram enim duos qui vitales & ipſi auras carpũt ad hunc vſque diem (vt quidem arbitror) atque vt diu carpant Deũ opt. max. precor. Vnus eſt, Ioannes Paſſeratius, poeta & iuriſconſultus: alter, Petrus Daniel, Aurelius, iuriſconſultus. Fortaſsis autem & M. Ant. Muretus, qui ibi inter Auratum & Hotomanũ eſt collocatus, ſuperſtitibus eſt annumerandus. A. Omnéſne hi aliquid lucubrationum in Ciceronem ediderunt? P. Minimè: magnus enim ille catalogus ex quo ſumpti ſunt iſti, eorum etiam proponit nomina qui aut exemplariũ ſuorum commodatione aut ſuis in locos nonnullos coniecturis, aut vtroque editionem illam adiuuerunt. D. Cur verò Erricus vtroque in loco à te pronuntiatur, non Henricus, pro Memmij, nécnon pro Stephani prænomine? P. Quoniam ab eo ita ſcribitur. D. Cur verò ita ſcribi ab eo exiſtimas? P. Quoniam literam N, ſequente R, ita mutandam in Latina lingua putauit, quum in

nonnullis vocibus talem mutationem obſeruaſſet. Sic autem Græcè Ἔρρικος non Ἑνρῖκος, eandem ob cauſam ſcribebat: ſed Petrũ Daneſium & in hac ſcriptura Græca, & in Latina illa, autorem ſequebatur. D. At tibi placétne hæc ſcriptura? P. Ego Erricus ſcribendum cenſerem, ſi ita ſcribendo, diſſimulari poſſet nomen eſſe barbarum: ſed quum nihilo minùs barbarum maneat, non video quid hac nouitate ſit opus. D. Nónne autem hic, ſiue Erricus, ſiue Henricus, cuius poſteriore loco mentionem facit (nã priùs Errici Memmii meminerat) is eſt qui typographicam ártem exercet? P. Ille ipſe. D. Cur non igitur typographum eſſe dixit? P. Neſcio: ſed eum idem de Adriano Turnebo & Paulo Manutio tacuiſſe ſcio: quum tamẽ vterque typographum ſe, ſicut erat, profeſſus ſit. A. Ex omnibus qui ab illo enumerantur (non enim iam de iis tãtùm loquor quorũ à te nomina ex illo catalogo ſunt excerpta) quínam ſunt qui caſtigationes ſiue emendationes in Ciceronis opera ſcripſerint? P. A me iam ántea facta fuit P. Victorii mentio, qui non exiguum volumen edidit, quod Caſtigationes in Ciceronem, vel potius Explicationes ſuarũ in Ciceronem caſtigationum inſcripſit. Egregiam verò & Paulus Manutius operam in

Ciceronis libris caſtigandis(ſed quibuſdam tantùm) nauauit. Quinetiā Henricus Stephanus anno M. D. L V I I. edidit eiuſdem argumenti librum,hoc titulo, In M. Tullii Ciceronis quamplurimos locos caſtigationes:partim ex eius ingenio,partim ex vetuſtiſsimo quodam & emendatiſsimo exēplari.Eius autem libri calci adiectus eſt tractatus quo exempla variorum apud Ciceronem mendorum proponuntur, ſimúlque cauſæ eorum exponuntur. Hoc autem ab eo factum fuit(vt in epiſtola huic tractatui præfixa ſcribit) vt lectorem ad ſubodorandos qui paſsim extant in Ciceronianis libris errores ſagaciorem redderet. Proponuntur autem vniuſcuiuſque propemodum generis mendorum exempla, partim locos in illis caſtigationibus emēdatos in memoriam reuocando,partim alios quoſdam corrigendo. D. Prolixúſne eſt ille tractatus? P. Nequaquam. Se autem in illo eundem ferè ſequi ordinem dicit quem in ſuis De origine mendorum libris ſequutus ſit. A. Edidit & Gulielmus Canterus de ratione emendandi Græcos autores ſyntagma. P. Longo certè pòſt tempore:nec dubitabit quiſquis hoc cum illo Henrici Stephani tractatu contulerit, quin iſtud ad illius exemplū à Cantero ſcriptum ſit. Quinetiam Franci-

ſcum Robortellũ in diſtribuenda in claſſes ſua Diſputatione de arte ſiue ratione corrigendi antiquorum libros, fuiſſe illo Henrici Stephani tractatu adiutum conſtat. A. Vnius tantùm exemplaris fit ab Henrico Stephano mentio (ſi bene recordor eorum quæ modò dixiſti) in titulo libri quo Caſtigationes illæ continentur. P. Vnius duntaxat. A. Plures habuiſſe illum non exiſtimas? P. Non abſimile vero eſt plures illi fuiſſe, ſed vnius quaſi κατ᾽ ἐξοχὴν mentionem illum feciſſe. Ex eo quidem certè feliciſsimè plerique Orationum potiſsimum loci integritati ſuæ fuerũt ab eo reſtituti: ac paucas certè ex iis lectionibus quæ inde ſumptæ ſunt probauit, quas alii quoque poſt eũ nõ probauerint, & nominatim quidẽ Lambinus. A. Eſtne Henrico Stephano aſſenſor Lambinus & de locis illis quos ille ex ingenio ſiue ex coniectura emendauit? P. Eſt profectò, de pleriſque ſaltem. D. Nónne præter duos illos alii caſtigationes ſiue emendationes in Ciceronem ediderunt? P. Maximé. ſed minus generalis (vt ita dicam) fuit eorum ſcriptio: quum aut in vnum dũtaxat opus ſiue opuſculum Ciceronis (hoc autem nomine vnamquanque etiam orationem appello) aut certè in pauca ſcripſerint. Sic ex Italis Hieronymum Ferrarium

in Philippicas Ciceronis emendationes edidiſſe, Gabrielem Faërnum longo pòſt tẽpore in eaſdem orationes, necnõ in aliquot alias ſcripſiſſe videmus. Leonardum verò Malamſpinam iam antea docui emendationes ac ſuſpiciones quaſdam ſuas (illo enim vocabulo vtitur) in epiſtolas ad Atticum, Brutum, & Q. fratrem, edidiſſe. Gallorum autem (excepto eo quem nominaui) & aliorum quorundã emendationes ſparſæ ſunt per libros quos partim Lectiones varias, ſiue nouas, ſiue ſubciſiuas (aut ſubceſiuas) partim Miſcellanea, ſiue Symmicta, aut Collectanea, aut Aduerſaria, vel Obſeruationes appellarunt, aut certè per commentarios ab illis in aliquod Ciceronis opus ſiue opuſculum ſcriptos. D. Quid? Lambinus nónne ſeorſim emendationes ſuas edidit? P. At de illis nũc à nobis agitur quorum labores in emendandis operum Ciceronis editionibus priores Lambini laboribus fuerunt. A. Iam oblitus erat Dionyſius, illos qui à te nominati eſſent, ex ipſo Lãbini catalogo eſſe ſumptos, in quo eos enumerat qui ante ſe in emendando Cicerone aliquid operæ poſuerunt, quíve eum aut cõiecturis probabilibus (ita enim dixiſti, ſi bene memini) aut libris veteribus adiuuerunt. D. Oblitus certè eram: vel potius aliud cogita-

ban. Scire autem cupio quod ex te ſciſcitabar, Paule, an ſeorſum emendationes in omnia Ciceronis opera ediderit. P. Seorſum nō edidit: id eſt, libro qui ab ipſis operibus Ciceronis ſeiungatur: ſed hæc in quatuor tomos, vt moris eſt, diuiſit: & vnicuiq; ſubiunxit Annotationes ſuas, ſeu Emendationum rationes. ita enim appellat. A. In emendationum rationibus non de locis emendandis, ſed de iis quos iam emendauerit, agere exiſtimādus eſt. P. Duobus nominibus ab illo vocari dixi quę in Ciceronem ſcripſit, Annotationes ſeu Emendationum rationes. In emendationum rationibus, de iam emendatis, in Annotationibus, de iis qui emēdandi ſuperſunt, tractat. Neque tamē hæ ſcriptiones ibi ſunt ſeparatæ: ſed iam correcti loci, ad vnam ſcriptionē, qui relinquuntur corrigendi, ad alteram ſunt referendi. A. Multáne in contextu fuerunt ab eo emendata? P. Nimium certè multa. A. Cur id ais? nónne veterum exemplarium autoritatē vbique ſequutus eſt? D. Vt antea memoriam meam accuſaſti, ſic ego tuā nunc accuſare poſſum: qui non recordêre eius quod non multo antè dictum à Paulo fuit de Lambini in emendando Cicerone audacia. A. Ego quoque alias me res paulîſper egiſſe fatebor. P. Ita certè ſe res hab.iiii.

bet:coniecturis ſuis Lambinus nimium in editione illa tribuit, nimiúmque indulſit. A. Nónne &alii idem ſibi permiſerunt? P. Ita.ſed nemo(quod ſciam)æquè audax vel tot in locis fuit,atque ille. Hoc quidẽ certè ſæpenumero videmus vſuuenire,vt

Dũ medicas adhibere manus ad vulnera lector
Nititur, & meliora libros ſedet omnia poſcens,

interim coniecturæ ſuæ, penuria librorum à quibus meliora exoptat omnia, indulgeat, ac ſibi plerunque in commento ſuo non minus quàm ſimia in ſuis νεογνοῖς ſimiolis placeat: ſed pauci ſunt adeo ſiue temerarij ſiue audaces vt ſuam in cõiecturis ſolertiam veterum exemplariũ vicariam conſtituant: quod ab illo factum fuit. A. Paucos eſſe dicis, non autem multos. P. Vtinam verò illum vnũ id feciſſe, poſſem verè dicere: melius certè eũ editionibus operũ Ciceronis ageretur ſi ille & primus & poſtremus auſus id fuiſſet. At nunc ita cũ illis agitur, vt reuiuiſcens Cicero tale quid per parodiã queri poſsit de multitudine emendatorum ſeu correctorum in quos ſui libri inciderũt, quale olim de medicorum multitudine querebatur, qui dicebat,

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδοι μ' ἀπώλεσαν.

Eodem enim & ipſe modo παρῳδῶν dicere poſſet, Πολλῶν. A. Quídnam obſecro dicere

poſſet? quæ hæc eſt apoſiopeſis? cur tu Paule *Incipis effari,mediáque in uoce reſiſtis?* Mihi enim de te licebit, opinor, verbis illis vti quibus de Didone vſus eſt Virgilius. D. *Cur tu ſermonis uerba imperfecta relinquis*, Paule? Si enim Antonio Virgiliana de te vſurpare verba licet, liceat mihi Ouidiana. P. Atenim, Antoni, (te enim potius compellabo) vt Virgilianis de Didonis apoſiopeſi verbis fas eſſe tibi vis vti, ita mihi illam ipſam apoſiopeſin vſurpare fas eſſe volo. A. Imò verò paucula verba nos audire, quibus ſenarius ille abſoluatur, quæ inuidia eſt? P. Audietis profectó: ſed non priùs quàm faceta illa controuerſia de vocabulo PACETOSVS dirempta fuerit. Vereor enim (vt antea dixi) ne naſcẽtes alii ex aliis ſermones tam procul ab illo primo me abducant, vt ad eũ redire nõ poſſim. D. -*Mitte hanc de pectore curam*. nam, ſi hoc contingat, nos te in viam reducturos polliciti ſumus. P. Nolo vos mea cauſa tantum laboris ſuſtinere. D. *Non labor hic lædet*, vt loquitur Tibullus. P. Non lædet ſanè, quia eum ſuſtinere vos minimè cogam. A. Video Dionyſi Paulum noſtrum obfirmaſſe animum. P. Obfirmaui equidem: nec eſt quod vllum à me verbũ de illis operum Ciceronis editionibus expectetis, donec veſtra illa controuerſia di-

rempta *Alterutrum uelox uictoria fronde coronet.* A. Quaſi verò, ſi, quod ſentis, dicere velis, mihi non dicturus ſis potius, *-iam ſtat, uictoria tecum.* P. Potius certè cum Naſone, dicam,

Inter utrunque uolat dubiis uictoria pennis.

D. Quanta ſpe deturbaſti Antonium, Paule. A. Egóne ſpe depulſus, aut deiectus, vel (vt ipſe loqueris) deturbatus tibi videor? quæ mihi de victoria deſperandi præbetur occaſio? Ne ipſe quidē Paulus ſpem mihi abſcindit, quum inter vtrunque dubijs victoriam pennis volare dicit. Atque adeo me, ſi non triumphaturum, ſaltem ouaturum confido. Non animaduertis Dionyſi, propoſitum eſſe Antonio, ea quam præ ſe fert fiducia timorem tibi incutere? A. Nequaquā profectò fiduciam præ me fero dūtaxat, ſed ea penitus animo meo inſidet: at Dionyſium fiduciam præ ſe ferre tātùm, non abs re dicetur à te, Paule. D. Quamobrem? A. Quoniam non multo antè cœpiſſe te ſpem amittere fatebaris. D. Quid? non animaduertebas id à me dici vt falſi gaudij vſura fruereris? A. Quod falſum vocas, mutato nomine verum appellare cogêris. P. Quorſum verò iſtæ tot concertationes? D. An tibi concertare videmur? P. Quid aliud obſecro? D. Atqui Cicero nos

controuerſari, non cōcertare, diceret: vt audimus eum in Platonis Protagora dicentē, *Nunc duobis, Protagora & Socrates, poſtulo, concedatis alter alteri: & inter uos de huiuſcemodi rebus controuerſemini, non concertetis.* Nam Controuerſari vult eſſe ἀμφισβητεῖν, at Concertare, ἐρίζειν. P. Haud certè vos Controuerſari, non concertare, verùm vos quoque debere non hoc ſed illud facere diceret. Ac ipſe iam nō Ciceronis interpretis ſed ipſius Platonis verbis apud vos vti volo, in Prodici perſona, mutatis dūtaxat nominibus, ἐγὼ μὲν καὶ αὐτὸς ὦ Διονύσιε τε καὶ Ἀντώνιε ἀξιῶ ὑμᾶς συγχωρεῖν ἀλλήλοις, καὶ περὶ τῶν λόγων ἀμφισβητεῖν μὲν, ἐρίζειν δὲ μή. A. Nimio certè honore dignaris noſtram controuerſationem, vel potius concertationem, ſeu velitationem, qui ad eam tanti philoſophi verba accommodes. P. Aptiſsimò ſanè vocabulo vſus eſt Antonius, quum velitationem appellauit. Plautus enim nihil aliud vos quàm velitari diceret. A. Penes te eſt Paule, litem noſtram, quæ nobis inter ſpem metúmque huiuſmodi ſermonibus occaſionem prębet, finem quamprimùm imponere. P. Per me nō ſtabit profectò quin ea componatur. atque id vt ſtatim fiat, ad bibliothecā recurram, inde illam editionem Lambini de qua tam multa diximus, depromptu͏rus. D. Fruſtrà

illam afferes, quum nonnulla eorum quæ dixiſti ſuſpectam mihi reddant. P. Quam igitur à me exhiberi placet? DIO. Ex iis quampiam quæ multis abhinc annis prodierunt, & plus aliis valere autoritate debēt. P. Illam quæ ex Roberti Stephani officina anno M. D. XXXVIII prodiit, in villula mea ruſticari, à me iam dictum fuit. D. At Badianam non dubito quin aliquis vrbanæ bibliothecæ angulus habeat. P. Con feſtim deſiderio tuo ſatisfiet. A. Si te Dionyſi imitari, vel poti⁹ ſi par pari referre vellem, ſuſpectam mihi eſſe Badianam illā dicerem. P. En vobis quam Iodoci Badii officina ante plurimos annos dedit. In ea locum illum quære Dionyſi. A. Vt Lambini editionem conſuli noluit Dionyſius, ita ego vt hæc conſuleretur permittere non debebam. P. Quid? an times ne hæc tibi non faueat?

D. *Non ita Dardanio gauiſus Atrida triumpho,*
Quum caderent magni Laomedontis opes:
Nec ſic errore exacto lætatus Vlyſſes,
Quum tetigit charæ littora Dulichiæ:
Non Electra, ſuū ſaluum quū aſpexit Oreſtē,
Cuius falſā tenens fleuerat oſſa ſoror:
Nec ſic incolumem Min.

A. Vide Paule vt mihi inſultet Dionyſius quòd ſuum illud vocabulū FACETOSAM

in editione illa inuenerit. D. Illa certè, exultantis, nō inſultantis tibi ſunt verba. P. Pręſagiebat tibi animus, vt opinor, quod euenit. dicebas enim te non debuiſſe permittere vt editio illa cōſuleretur. D. At mihi cōtrà victoriam animus præſagiebat. hæc autē verſibus Naſonis fidem facit,

Mars dubius(omitto quæ interiecta ſunt)
-victique reſurgunt,
Quoſque neges unquam poſſe iacere, cadunt.

A. Ego verò nequaquam victorem te agnoſco, ſed ancipitem eſſe victoriā dico. D. An tu quoque Paule illum titulum mihi denegabis? P. Tu Dionyſi nō es mihi fidem denegaturus? D. Non equidem. P. Mihi crede igitur, non magnam eſſe illius Badianæ editionis autoritatem: ac ne aliarum quidē quæ circa idem tempus prodierunt. Quum autem, vt hæc editio ſtat pro te, ſic aliæ ſtēt pro Antonio, accipe quod dat, ancipitē eſſe victoriam. nam vel hoc tibi ab illo concedi miror. D. At mihi permirum eſt tantopere veſtris auribus illud verbi diſplicere: præſertim quum RIDICVLOSVS eadem forma dicatur. P. Si Ridiculoſus diceretur, non negarē certè recipiendum eſſe & Facetoſus: ſed à quo, obſecro, Ridiculoſus dictū fuit? D. Non ſuccurrit nunc mihi veteris alicuius ſcriptoris locus in quo nomen illud

extet, ſed verſum quēdam Vrſini Velii memini, cui illud adhibuit. Is eſt in epigrāmatis huius interpretatione,

Τὸν βίον Ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἤπερ ὅτ' ἔζης
Δάκρυε· νῦν ὁ βίος ἔστ' ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον ἄρτι γέλα Δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρίν·
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος.
Εἰς ὑμέας δὲ καὶ αὐτὸς ὁρῶν, τὸ μεταξὺ μεριμνῶ
Πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

Ita enim hoc epigramma totidem verſibus reddidit,

Triſtibus atque olim uitæ Heraclite labores,
Vt mage quam miſerum nil queat eſſe, gemas.
Tu quoque maiori Democrite diffl ue riſu,
Quādoquidem hæc uita eſt ridiculoſa magis.
Ipſe autē interea uos cernens, differor anceps,
Te riſu, lacrymis quomodo téque iuuem.

P. Hîc certè Ridiculoſa vita video Vrſinum Velium dixiſſe (ſi ille huius interpretationis eſt autor) ſed ridiculè potius quàm Latinè dictum eſſe Ridiculoſa, nemo, vt opinor, mihi negauerit, qui aures Latinitati aſſuefactas habeat. D. Neſcis fortaſſe quantus vir Vrſinus Velius fuerit. P. Scio Vrſinum Velium feliciorem in vertendis Græcis epigrāmatis quàm alios quoſdam eiuſdem gentis fuiſſe: ſed ipſum quoque puritatem Latinæ linguæ aut non ſatis cognitam, aut parum commendatā habuiſſe non ignoro. D. Eius

certè præ quibuſdam aliis eiuſdem nationis tāta fuit hac in re felicitas, vt vix illi digni ſint qui cum illo comparentur. Ac, ne longè abeamus, ſi Ottomari Luſcinii interpretationem huius ipſius epigrammatis, Veliana iam lecta, legamus, ne dignā quidē illam quæ vlla in parte cum hac cōferatur, comperiemus: ſed potius talem eſſe vt illis ipſis propoſita quorum in epigrammate fit mētio, non minus cōmiſeratione vni quàm alteri irriſione digna videri potuerit. Ita enim hic Luſcinius (nihil minus certè quàm luſcinia) illud epigramma vertit,

Tēpora vix credas Heraclitus ſua quondā ut
Planxerit: at noſtra hæc ſunt) puto) fauſta minus.
Contráque perpetuò uitam Democritus olim
Ridebat: quam nunc rideat ille magis.
Sic ego dum noſtræ ſcrutor mala uanáq; uitæ,
Iam fleo, ſi liceat idmque cachinno magis.

P. Perſpicio verū eſſe quod dixiſti de duabus illius epigrammatis interpretationibus, ne vllo quidem modo dignam eſſe hanc quæ cum illa comparetur: verùm & id quod dixi, verum eſſe fateberis ſi poetica Vrſini Velij operā legeris, eum feliciorem in ſcribēdo verſu quàm puriorē fuiſſe. A. De puritate Latini ſermonis loqueris? P. Etiā. A. Eius tamē ſtudioſior fuiſſe videtur quàm

alii plerique ſui temporis & ſuæ nationis poetæ. Non multis autem noſtram ætatem annis præceſsit, vel potius nobis pueris ſenex ille fuit. P. Etiamſi ſtudioſior quàm alij multi, non tamen ſatis ſtudioſus fuit. ac paucos certè video qui eorum quæ ad linguæ Latinæ puritatem pertinent ſint ſatis diligentes. A. At verò in illa Luſcinij interpretatione quid primum quid poſtremum reprehendere debeam neſcio. P. Ipſe verò quid non reprehendere debeam neſcire me dico. D. Eo certè magis digna laude eſt illa Veliana eiuſdem epigrammatis interpretatio quum in ea vnicum vocabulum reprehendatur. A. Quid ſi ego ita illud vertā vt vocabulo illo nō vtar, & penè verbum verbo reddam? meam interpretationem laude digniorem eſſe fateberis? D. Hoc ipſum ex te de mea volo quærere. nam illud epigrāma verti & ipſe non ita pridem. A. Profer igitur illam tuam: vbi autē meam viciſsim protulero, Palæmon noſter erit Paulus.

D. *Heraclite, tui nunc plus quàm tempore ſecli*
Plora: plus uita hæc quòd miſereris habet:
Et tu maiori Democrite ſoluere riſu:
Vita habet hæc riſu nam mage digna tuo.

A. Audi meam, quæ magis etiam eſt ad verbum.

Heraclite, tuo mage nunc quàm tempore uitam
Plora:

Plora: nam uita hæc eſt miſerabilior.
Túque magis quàm olim uitam Democrite ride:
Non hac rideri dignior ulla fuit.

D. Quid de hiſce noſtris verſibus pronũtias Paule? (nam te Palęmonem noſtrum conſtituimus) vtris lauream adiudicas? P. *Non Pauli inter uos tantas componere lites.* A. Tuam iracundiam reformidat Paulus. D. Tuam potius. P. Miror verò neutrũ veſtrûm duos verſus vltimos eſſe interpretatum. D. Interpellauit Antonius quum eos vellem ſubiungere: nunc autem vacillat mea memoria. P. Tu verò Antoni non vis illos addere? A. Illos quatuor verti ex tempore, ac de duobus qui ſuperſunt nondum cogitaui. P. Ego igitur, ne imperfectum maneat, meam totius interpretationem proponam.

Heraclite, magis quàm quum tibi uita manebat
Plora: nam uita hæc eſt miſeranda magis.
Edito maiores priſcis Democrite riſus:
Ridicula hæc uita eſt omnibus una magis.
Intereáque tuens in uos, conſidero, riſus
Quî tibi ſim ſocius, ſim gemitúſque tibi.

A. Auidè poſtremorum verſuum interpretationem expectabã, quòd multo ſit quàm aliorum difficilior. Ac ſuſpicor Dionyſiũ non oblitum eſſe (vt ait) quomodo illos vertiſſet, ſed ita vertiſſe vt ipſimet ſua diſpliceant. D. Quid? nõ putas poſſe mihi faci-

le eſſe quod tibi ſit difficile? P. At mihi quoque negotium illos exhibuiſſe non negauerim. Libet tamen eoſdem verſus alio etiam modo interpretatos afferre, vt veſtrûm alteruter illos ad perficiẽdam ſuam interpretationem mutuetur.

Cogitóque interea, uos ſpectans, quomodo tecum
Ridere, aut tecum quî lacrymare queam.

A. In hanc ego interpretationẽ prior manũ inijcio. D. Atqui communem nobis eam eſſe volebat qui eius autor eſt. AN. Si hæc eius voluntas fuiſſet, non dixiſſet ſe illam afferre, vt noſtrûm alteruter mutuaretur. P. Antonio illam relinque: tu verò (ne tua ſit apud me peior conditio) hanc accipe,

Intereáque oculo uerſo in uos, cogito tecum
Quis riſus, tecum quæ mihi ſint lacrymæ.

A. Hoc ego interpretandi genere valde delector, quum propemodum verbum verbo redditur. P. Sed quo fidelior & adſtrictior eſt aliqua interpretatio, eo maiore venia digna eſt ſiquid habet duriuſculũ. Hoc ſaltem nemo iam dixerit, vocabulum Ridicula locum hîc non habuiſſe, ideóque Ridiculoſa nouè dicere neceſſe fuiſſe. D. Caue ne fallaris Paule, dum nouitatis nomen illud accuſas. P. At ipſe caue ne nõ tantùm nouitatis ſed barbariei etiam accuſem. D. Apud Plautum tamen legiſſe mihi videor.

P. Ridicularia apud illũ comicũ, non Ridiculoſa, legiſti. Extátq; & apud Aulum Gellium (quem nonnulli Agelliũ nunc vocant) Ridicularius. Alioqui certè illud Ridicularia ex Ridicularis, nõ Ridicularius, factum videri poſſet. D. Eſto, apud nullum idoneũ Latinitatis autorẽ extare Ridiculoſus, nónne aliorum exemplo fingere illud licebat? P. Quorum exemplo ais? an *facetoſus*, ſicut & *facetus*, ab eo dici, allegabis? D. Nequaquam: quũ de illo dubitari videam. ſed *perfidioſus* non minus quàm *perfidus* ab ipſo Cicerone dici non te latet. Quinetiam *dubioſus*, ſicut & *dubius*, dici non ignoras. P. Sed à quo dici *dubioſus*? Ego certè quàm audacter voce illa *perfidioſus* vterer, tam timidus ad iſtam *dubioſus* vſurpandam eſſem. vix enim apud alium quàm Gelliũ inueniri poſſe, atque hunc ex quopiam ſcriptore priſco mutuatum illam eſſe arbitror. D. Nónne *deſidioſus* etiam, *fallacioſus* & *ſuſpicioſus* inueniuntur? P. At hæc nõ ex nominibus quæ terminationem illam habeant, ſunt facta. Scis enim ex *deſes* factum eſſe *deſidioſus*, additis videlicet ad datiuũ caſum duabus ſyllabis: ſic ex *fallax* eſſe *fallacioſus*. Ad tertium autem illud *ſuſpicioſus* quod attinet, ſi eodem modo quo illa duo factum eſſe velimus, ex *ſuſpicacioſus* imminutum eſſe dicen-

dum erit. Verùm, eſto & hæc omnia & alia multo plura à nominibus in vs terminationem in osvs accepiſſe: non tamen ea facere poſsint vt nobis aliquod eiuſmodi adiicere illis abſque Latini alicuius ſcriptoris autoritate liceat. A. Non abſimile vero eſt eum qui primus dixerit Ridiculoſus, (neque enim dubito quin Velius poſt alium quempiam eo vſus ſit) ex illo Facetoſus audaciæ ſuæ occaſionem ſumpſiſſe. Quid verò tandem de hoc vocabulo ſtatuẽdum eſt? P. Ex illis eſſe quæ à noſtris maioribus pro Ciceronianis eſſe habita mirum videri non debet, dum menda propè infinita caliginem ſcriptis Ciceronis inducebant: nunc verò poſtquam multorum exemplarium ope illa caligo, aut ſaltem maior pars eius, diſcuſſa eſt, pro Ciceronianis haberi, & mirum & indignũ hominibus aliquo iudicio præditis fuerit. A. Idémne & aliis Ciceronis locis contigiſſe putas, vt ex eorum corruptione vocabula quæpiam (ceu vermes aliáque minuta animalia ex putredine naſci videmus) naſcerentur? P. Id me non putare, ſed compertum atque exploratum habere, reſpondeo. D. Multáne tibi huius miræ vocabulorum generationis exempla ſuppetunt? P. Suppeterent certè multa ſi omnia mihi memoria vellet ſuggerere. A. Incipe nobis

aliqua commemorare. D. Idem & ego à te peto: ac ſpero fore vt dum aliqua commemorabis, cætera paulatim in mentem veniant. P. Maius certè otium & animum curis magis vacuum res ea requireret: deſiderio tamen veſtro aliqua ſaltem ex parte ſatiſſaciam. Initium autē ſumā à nomine ſuperlatiuo MVLTISSIMVS, quod ille Ciceroniánorū facilè princeps Bēbus purā putā Ciceronis eſſe vocē exiſtimauit: adeo quidem vt etiam vſurpare mínimè dubitarit. A. Quis, obſecro, locus Ciceronis vocem hanc illi exhibuerat? P. Quidam ex epiſtolis ad Atticum. A. Eúmne te inuēturum ſperas? P. Quæram ſaltem, & quidem in illa Badiana editione. A. Vix certè, Dionyſi, fidē Paulo habere poſſum. D. Ego verò fidem illi tum demum adhibebo quum me teſtem oculatum reddiderit. Præ nobis feramus tamen, nos illi credere, ſi pergere eum velimus. P. Lege Antoni hoc initium epiſtolæ ſecundæ libri vndecimi ad Atticū. A. *Literas tuas accepi pridie non. Febr. eóque ipſo die ex teſtamento creui hæreditatem. Ex multiſſimis & miſerrimis curis eſt una enata, ſi, ut ſcribis, iſta hæreditas fidem & famam meam tueri poteſt. quam quidem te intelligo etiam ſine hæreditate tuis opibus defenſurum fuiſſe. De dote quod ſcribis.* P. Vlterius pergere minimè neceſſe

eſt, vt inuenias ſuperlatiuum *multiſſimis*, quũ iam inueneris. A. Quæ verò eſt hæc editio? P. Badiana: in qua etiam illud *facinoſorum* paulo antè inuenimus. A. Tu Dionyſi, qui paulo antè magnam huius editionis autoritatẽ eſſe volebas, quòd tibi de illo genitiuo aſſenſa eſſet, quid nunc de ea dicẽdũ putas? D. Eius profectò valde minuitur apud me autoritas. A. Quid verò Paule in locũ vocis huius *multiſſimis* ex veterũ exẽplarium conſenſu poſtea fuit ſubſtitutum? P. Duæ voces in locum illius vnicæ fuerũt repoſitæ, quas tibi diuinandas relinquo. AN. At hoc non aliud fuerit quàm me cruciare. tanto enim hoc audiendi ardeo deſiderio, vt omnino ſim moræ impatiens. P. Atqui facillima eſt illius emendationis diuinatio. AN. Alio fortaſſe tempore facillima mihi eſſe poſſet: nunc eſſet difficillima. P. Adiutor etiam ero, & velut in viam eius te deducam. A. Enecas. D. Cur non miſſum facis illum, qui ſe modò cruciari, modò enecari à te dicit, quòd diuinationem à ſe exigas? P. Vin' ad te me conuertam? D. Quidni? niſi fortè ſoli Antonio μαντικόν τι ineſſe arbitraris. P. Imò verò ſi illum κακόμαντιν eſſe vidiſſem, ad te ſtatim me conuertere ſtatueram, vt tuam quoque μαντείαν audirem. A. Neſcio quàm rectè μαντείαν & diuinatio-

nem pro cõiectura dicas. P. Terruit te fortaſsis illud vocabulum. A. Non tã me terruit quàm ab inueſtigatione veræ lectionis deterruit. D. Quod ſe facturũ negauit Antonius, id iam facere eum velle video: ne illum ſiue diuinandi ſiue coniiciendi honorẽ ſibi præripiam. P. Rem acu tetigiſti. Iam te hac ipſa in re non parum facultate coniiciendi valere experior. D. Aliud video, ad quod illa facultate nihil opus eſt. P. Quid illud eſt quod vides? D. Me à te rideri. P. An quicũque iocatur irridet? Sed extra iocum, rem mihi gratiſsimam feceris, ſi Antonium præueneris. D. Polliceríſne mihi te coniecturam meam riſu non excepturum, ſi fortè *ἄστοχος* non fuerit? P. Polliceor. A. At ego me plus etiam quàm pro virili parte riſurũ profiteor, vt eius quoque in ridendo vicem impleam. P. Nolo certè talem mei riſus habere vicarium. D. In aurem tibi dicam Paule. PAV. Optimum ſanè hoc conſilium eſt: nã ſi ſcopum attigeris, ego id quod dixeris, Stẽtorea voce auribus Antonij inclamabo: ſin minus, fideli ſilentio premã. A. Ergo id ipſum ſilẽtium *ἀστοχίαν* Dionyſij mihi loquetur. D. Audi tãdem Paule, *Ἄγχι σχὼν κεφαλὴν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.* Pro *multiſſimis* ſcribẽdum puto, & ab ipſo Cicerone fuiſſe ſcriptum, *multis meis*. P. Dixit, dixit Dionyſius

non quod rideas Antoni, ſed quod inuideas. A. Malo non audire, ne inuidus fiam. P. Audies vel inuitus ſagaciſsimam eius cõiecturam: pro *multiſſimis* ſcribēdū eſſe *multis meis*. Illi certè plurimæ editiones illa Badiana poſteriores ſuffragantur. A. Ex muſca elephantum facis, quum tantopere cõiecturam illam laudas. Venerat quidē & mihi in mentem illa emendatio: ſed ego aliquid magis recõditum ſub illo errore latere exiſtimabam. P. His quoq; verbis te honorem Dionyſio debitū inuidere oſtendis. Verùm vt iã amoto dicamus ſeria ludo, recordor alîus cuiuſdã vocabuli quod Ciceroni adſcriptum fuiſſe, non minus mirum vobis videbitur. A. Magnã iam mihi admirationē moues, eo ipſo quòd dicis non minus mirū viſum illud iri. PAV. Ne vos ſuſpenſos teneã, ea vox eſt COMPLICES, in quibuſdam & ipſa operū Ciceronis exēplaribus. ANT. Haud immeritò certè eã non minus admirationi futuram dixiſti. DI. Ego verò eam non admiror tantùm, ſed ſtupeo etiã. ANT. Sed quænã huic voci ſignificatio dabatur? PAV. Imò ego veſtras ſuper hac re diuinationes audire expeto. A. Diuinet ergo Dionyſi⁹, qui huius facultatis ſpecimē modò edidit. D. Imò tibi honorem hunc cedo. ANT. At ego non honorem, ſed onus, has

diuinandi partes appello. P. Et ipſe tamẽ hoc quicquid eſt oneris tibi impono. AN. Spatium ſaltem ad cogitandum mihi concedito: quinetiã locum in quem intruſum fuit hoc vocabulum proferto. P. AEquũ poſtulas. Is eſt in oratione prima in Catilinam, *Nã ſi te interfici iuſſero, reſidebit in rep. reliqua coniuratorum manus: ſin tu (quod te iamdudum hortor) exieris, exhaurietur ex urbe tuorũ complicũ magna & pernicioſa ſententia reip.* A. Quod difficile mihi erat, facile reddidiſti, locum ipſum proferendo. iam enim, ni fallor, nouæ illius vocis Complicees ſignificationem aſſequor coniectura. illa nimirum declarare voluiſſe eos à quibus huc intruſa eſt (vt antea loquutus ſum) idipſum quod Gallico in ſermone ſonat hæc ipſa vox *Cõplices*, ſola vnius elementi pronuntiatione ab illa differens. quum enim in Latino ſermone (ſi ab eo admitteretur) edendus in ea eſſet ſonus E maſculini, in noſtro *Complices* auditur duntaxat E fœmininum. Liceat enim mihi, in mentione vocabuli Gallici, Gallico more de diuerſo huius literæ ſono loqui. P. Per me quidem certè id tibi licebit: præſertim quum tua & tam prompta & tam εὔστοχος reſpõſio mihi ſit gratiſsima. DI. Cui verò non in promptu fuiſſet eadem reſpõſio, quũ ad eam velut manu ducat præ-

cedens vox Coniuratorum? ANT. Inuidū iſtum miſſū facio, Paule: ac potius ad te cōuerſus quæro pro qua Ciceroniana voce irrepſerat illa Complicium. PAV. Pro voce Comitum. Sed iampridē detectus fuit hic error. nam & Laurentius Valla eius mentionem facit. ſed (quod miror) quum duobus modis deprauatus ille ſit locus, alterius deprauationis non meminit quæ eſt in vocabulo Sententia. Scribendum enim eſſe dicit *Tuorum comitum magna & pernicioſa ſentētia.* D. Quid ergo pro illo nomine Sententia reponi debet? A. Quaſi verò tibi in mentem venire ſtatim nō debeat: & verbum Exhaurietur nō indicet veram lectionem eſſe Sentina. PAV. Nimiū ſibi diffidit Dionyſius. DI. Nimium mihi diffidere malo quàm nimis fidere. PAV. Audite, audite & quoddā aliud vocabulum quod ab omnibus irridetur, exibilatur, exploditur, tanquam planè ex barbarie monachica profectū, & tamen apud Ciceronem in quibuſdam etiam editionibus inuenitur quæ non ante multos annos prodierunt. ANT. Audientiam certè tibi facis tali vocabuli illius deſcriptione. DI. Ex ea, præclare diuinator, aut ſaltē coniector, nónne quod illud ſit verbum potes odorari? ANT. Tantam mihi ſagacitatem non tribuo. PAV. At ego duas illius

literas, primam & ſecundam,proferam, vt tibi ad inueſtigationem,tanquam oſtenſa veſtigia, ſint adiumento. ANT. Quænam illa ſunt? P. Quæ ſyllabam CA efficiunt. A. Adde quæſo & tertiam literam. PAV. Atqui ſi tertiam addidero,vix vllus inueſtigationi locus relinquetur. ANT. Nulla certè vox occurrit,ab hac ſyllaba initium habēs, cui tua illa deſcriptio quadrare poſsit. P. Tertiam tamen literam non addam, niſi & reliquas omnes illi adiūgam.Iam igitur vocem illam eſſe ſcito CAPITVLVM, in editionibus nec paucis nec antiquis operum Ciceronis. ANT. Quid audio! vox iſta Capitulum apud Ciceronem extat? DI. A monachis,opinor,gratiam inire cupis,qui valde tritam illis vocem, & quæ illorum palato valde ſapit, Ciceronianā eſſe dicas: quū alioqui ab omnibus(vt ipſe paulo antè fatebaris)explodatur. PAV. Pſeudociceronianam certè potius quàm Ciceronianam eſſe illam dixerim. DI. Apud Ciceronem tamē extare ais. P. Apud Ciceronem extat,ſi editionibus illis fides adhibeatur: ſed multi ſunt & alii in iiſdem loci,vbi,qui eſſe creditur Cicero,eſſe potius Pſeudocicero iudicabitur,ſi aliæ conſulantur.

ANT. Te certè Pſeudociceronem à Cicerone diſtinguentem libenter audio: ſed

rogo tamen vt hunc ſermonem differens, vel potius parumper intermittens, me non tibi magis quàm meis ipſius oculis de vocabulo illo Capitulū credere cogas. P. Nō equidem quin iam nunc in rem præſentem eamus recuſo. A. Te præire par eſt. DI. Ego autem qui non adeo ſum incredulus, legam interim quas modò accepi literas. P. Sed iam recordor me ex iſta bibliotheca editiones illas aſportaſſe quæ nobis conſulendæ ſunt. A. In cubiculum ergo redeamus. D. Illúmne locum tam citò inueniſtis? P. Oblitus eram me editiones eas in quibus quærendus eſt, huc attuliſſe. D. Nizolium quoque te huc apportaſſe non meminiſti fortaſſe. P. Non memineră equidem. vbi verò eſt? D. Super ſcamno ianuæ proximo. P. Conſulēdum priùs illum cenſeo. *Capitulum, li. Cic.* De L. 190.*a, Si audierint te primum capitulum optimum prodidiſſe.* Nizolij ſaltē teſtimonio cōfirmari vocē illā iā videtis. Nunc autē cuius primùm editionis accedere teſtimoniū vultis? D. Eius quæ in manus prima veniet. PAV. Prima ſe obtulit Badiana. Eſt autem locus ille non procul ab initio libri primi, niſi me fallit memoria. Ab eo me haud procul abeſſe puto. A. Tu paginā illam oculis percurre, dum ego iſtam percurram. P. In illum tā-

dem incidi. *Atqui cauendum eſt. ſolent enim (id quod uirorum bonorum eſt) admodum iraſci. nec uero ferent ſi audierint te primum capitulum optimum prodidiſſe, in quo ſcripſit nihil curare deum nec ſui nec alieni.* Quam nunc editionem conſulemus? A. Non dubium eſt quin eandem ſcripturam in omnibus quæ circa idem tempus prodierunt ſimus inuẽturi: ideóque ad aliquam potius ex recentioribus veniendum cenſeo, & quod vocabulum pro illo legatur videndum. P. Cui dubium eſſe poſsit quin illã vocem Caput earum quælibet nobis ſit exhibitura? Sed hanc tamẽ inſpiciamus. En tibi non ſolùm *caput* pro *capitulum*, ſed etiam *libri optimi* pro *optimum*. A. Ergo ex *caput li* factum fuerit *capitulum*. P. Veriſimile eſt profectò, quum hæ quidem literæ *c a p*, item *t* & *l* à librario facilè conſpicerentur, cæteræ non item, ſeu vetuſtate ſeu caſu quopiam factæ ἐξίτηλοι, illi in mẽtem veniſſe nomen illud *capitulum*, quod ſuo tempore vſitatiſsimum eſſet. DI. At eſt Latina hæc quoque vox Capitulum? P. Extare ſcio vocem Capitulũ apud Plautum, Terentium, Cornelium Celſum, Plinium: apud illos comicos, in vna eadẽmq; ſignificatione: apud Celſum autem & Plinium in alia, eáque metaphorica, ſed ita vt non idem ſit apud vtrũque vſus metapho-

ricus. D. Quantum ex ijs quæ dixiſti intelligo, latius etiam patet apud Latinos huius vocabuli vſus quàm putabam. PAV. Sed non tam latè tamẽ vt in illo Ciceronis loco fieri poſsit. A. Illarúmne ſignificationũ quas habent apud eos quos dixiſti, exempla in illis quæ Dictionaria vulgus vocat, afferuntur? PAV. In ijs etiam quæ omniũ ſunt poſtrema, omiſſus eſt metaphoricus ille vſus quẽ Celſus ei tribuit. AN. Eius cognitionem'ne nobis inuideas quæſo. PAV. Non inuidebo certè, ſi locũ apud eum quęrere mihi concedatis. Ipſum enim Celſum iam video. AN. Concedimus. DI. Miror quem vſum apud medicos habeat iſtud nomen. P. Recordor & capitulum & baſim vno eodémque loco metaphoricè poni. D. Magna certè eſt Celſi autoritas. AN. Iure optimo. PAV. En vobis locum, libri 7, capite 30, *At tubercula quæ condylomata appellantur, ubi induruerunt, hac ratione curantur. Aluus ante omnia ducitur*, &c. Paulo vlterius progrediendum eſt, *Tum ſi capitulum exiguũ eſt, baſímque tenue habet, aſtringendum lino paulum ſupra eſt quàm ubi cum ano cõmittitur.* Quinetiam in ijs quę ſequũtur vtraque vox repetitur. A. Ex te ergo didicimus Capitulum condylomatibus etiam tribui, autore Celſo, ſicut & baſim. P. Capitulatas co-

ſtas idem alicubi dicit. Sed ad Ciceronem redeamus. A. Aliquíſne alius locus eius in mentem tibi venit qui vocem à Latinitate alienam habeat? P. Quorundam recordor qui voces ſi non à Latinitate omnino, at certè ab eius Latinitate alienas habent. A. Cedo nobis eas. P. A quadam initium ſumam quam nullo modo Latinam eſſe in ea quā apud eū habet ſignificatione, affirmare quidā non dubitant. Ea eſt ASSERTIO. habent autē eam vulgatæ editiones lib. primo ſecundæ editionis Acad. quæſtionum: ídque tribus in locis, circa finem, *Sic omnia latere cenſebant in occulto: neque eſſe quicquam quod cerni aut intelligi poſſit. Quibus de cauſis nihil oportere neq; profiteri neque affirmare quēquam, neque aſſertione approbare.* Et paulo pòſt, *neque hoc quicquam eſſet turpius quàm cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationémque præcurrere.* Paucis interiectis, *ut quū in eadem re paria contrariis in partibus momēta rationū inuenirentur, facilius ab utraque parte aſſertio ſuſtineretur.* ANT. Quid? hoc quoque vocabulum Nizolij Theſauro eripietur? P. Eripiemus certè, ſi Lambino fidem non eſſe derogandam cenſebimus. Is enim non ſolùm *aſſenſione*, & *aſſenſionem*, & *aſſenſio*, pro *aſſertione*, & *aſſertionem*, & *aſſertio*, reponendum eſſe ait, ſed hanc vocem quam

tollit, barbaram etiam eſſe clamat, nec acceptam. DI. Conſulamus editionem huius opuſculi, quæ ſeorſim prodiit Lutetia anno M. D. LIII, ex officina Adriani Turnebi, typographi regii, cũ eiuſdẽ cõmẽtario. Duplici enim eo in libro (ſicut in aliis quibuſdam) functus eſt officio, impreſſoris ſimul & enarratoris. PAV. Eum librum vnà cum Aduerſariis eius compingendum curaui. nõ diu quærendus erit. AN. Non dubito quin & in illa Turnebi editione *aſſenſio*, nõ *aſſertio*, legatur. P. Imò hæc quoque vocem iſtam *aſſertio* ſeruat, quam Lambinus barbaram in ea ſignificatione eſſe affirmat. DI. Quid? non audebo poſthac voce iſta vti, etiam ad illam ipſam rem declarandam? P. Hoc ſi audebis, nimium audax à me iudicaberis. audebis enim quod vereor vt tibi per Latinitatem liceat. DIONYS. Nunc primùm aliquam de hoc vocabulo dubitationem audio. P. At ego doctis quibuſdã viris ſuſpectum iampridẽ fuiſſe ſcio, in hac quidem certè ſignificatione. A. An & tibi ſuſpectum eſt? P. Certé. D. Atqui nónne illis Ciceronis locis conuenit? P. Nequaquam: niſi ea illi detur ſignificatio, quam à Latinitate non cõcedi aiunt. Verùm etiãſi hæc quoque illi à Latinitate concederetur, multo tamen aptiorem tribus hiſce locis alteram

alterum eſſe vocem fatendum eſſet: quum conſtet de eo Ciceronem loqui quod illi philoſophi συγκατάθεσιν appellabant, & ipſe in alijs eiuſdem libri locis paſsim aſſenſionem vocat. Atque adeo quod ab illo dicitur duobus verbis, *aſſenſione approbare* (non autē, *aſſertione approbare*, vt vulgò legitur) ab illis vno verbo dicebatur συγκατατίθεσθαι. (nam à verbo συγκατατίθεσθαι ad verbum διαβεβαιοῦσθαι quidam gradus erat) & *aſſenſionem ſuſtinere*, vno verbo ἐπέχειν. Sed quid verbis opus eſt? quum (vt dixi) in alijs eiuſdem libri locis aſſenſionem ea ipſa de re dicat de qua hîc aſſertionē legimus, aut in his quoqu e voce illa vſum eſſe credendum eſt, aut vtraq; idem Latino ſermone declarari. A. Eſt certè incredibile quod poſteriore loco à te fuit propoſitum. D. Ergo illis aſſentitis, Paule, qui vocem illam aſſertio in exilium pellēdam cenſuerūt? PAV. Aſſentior: niſi teſtimonio comprobetur alîus loci, cui nihil opponi poſsit. DI. Quid ſi te mutare ſententiam cogam? P. Tyranni hoc quidē eſſet, aliquem ad mutandam ſententiam adigere. D. Cogam, inquam, rationibus. PAV. Tuum Cogere, tandem erit Perſuadere. Sed audiamus ſanè rationes illas perſuaſtrices: ſi Plautino apud te vocabulo vti licet, etiam ſuſpecto. DI. Quum Rationi-

bus dixi, volui Ratione dicere. V[illegible]e-nim afferam: ſed quam tu quoque multarũ inſtar eſſe fateberis, & qua audita ſtatim ab exilio innocentem illam vocem eſſe reuocandam clamabis. P. Eo magis illam audire aueo. D I. Reſponde priùs ánnon Aſſertio ſit ab Aſſero. PAV. Quis verò negare hoc poſſet? D. Nónne Aſſero eſt velut pater, Aſſertio, velut filia? P. Hoc priùs ſciendum eſſet, an Aſſero ſit mas, & an illi inſit δύναμις γεννητική. D I. At ego non dixi Pater, ſed Tanquam pater: nec Filia, ſed Tanquam filia. A. Concede illi Paule quod poſtulat: ne nos diutius ſuſpẽſos teneat. P. Tibi igitur concedo, Aſſero eſſe velut patrem, Aſſertio velut filiam. D I. Si ius ciuitatis pater obtinet, nónne denegari filiæ nõ debet? P. Fingamus ita eſſe: nam ſine exceptione concedi hoc non poſſit. A. Intelligo iam Paule, quò tẽdat Dionyſius: ſed ſua ſpe excidet. D I. Quid? an Aſſero ius ciuitatis Romanæ obtinere negabis? P. Non negabo ſolùm, ſed pernegabo etiã. D I. Audebíſne, ſi non apud Ciceronianos tantùm ſed apud ipſum etiam Ciceronem inueniatur? P. Illorum certè parum hac in re mouerit me autoritas: at huius, multũ. D. Cedo mihi libros De officiis. P. Adſunt. D I. Irrides me, qui Lambini editionem profe-

ras. ... filiæ bellum indixit, & patri indixiſſe credendum eſt. Quampiam ex antiquis proferri volo. P. An hæc tibi ſatis antiqua eſſe videtur? D. Satis. Locũ ſtatim inuenero, qui vobis ſilentium imponet. Tu Paule hæc lege. nam mihi legenti fidem nõ haberes. P. *Quòd ſi, qui proſcribunt uillam bonam (ut ipſi aſſerunt) benéque ædificatam, nõ exiſtimantur fefelliſſe, etiamſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione: multo minus qui domum non laudarunt.* Video hîc eſſe *aſſerunt*: ſed hoc ſimul video, hãc editionem eſſe vbique mẽdoſiſsimam, ideóque nullo modo dignam cui fides adhibeatur. D. Volo & Nizolium conſulere. Vide & Nizolij teſtimoniũ accedere. P. Cuius põderis hoc eſſe poteſt Nizolij teſtimoniũ, qui cũ errãte typographo errauerit, & hãc ipſam fortaſſe editionẽ ſequutus ſit. Alias certè editiones nobis viciſſim conſulere per te licebit, vt opinor. AN. An Simonis Colinæi, Roberti Stephani & Caroli fratris eius editionibus contentus eris? DI. Equidem. A. En tibi tres illas. D. Spero fore vt ex tribus vna ſaltem pro me faciat. A. Iam quidem à duabus editionibus, vna Colinæi, altera Rob. Stephani, abeſſe verba illa vides. D. Inſpice nũc eam quæ ex Caroli officina prodiit. A. Hæc certè (quod valde miror) à tuis ſtat partibus.

habet enim illa verba, *ut ipſi aſſerunt.* [illegible] I. At ego in iſtâ eſſe verba hęc non miror, ſed potius à cęteris abeſſe mirum mihi videtur. ANT. Libet Badianam quoque conſulere; quæ etiam inter antiquas habenda eſt. licet minus antiqua ſit quàm ea quæ primò à nobis inſpecta fuit. Nuſquam certè ne in hac quidem illa verba comparent. P. Cui verò, non carenti iudicio, manifeſtum non ſit, ex ſcholio verba illa irrepſiſſe? quoniam enim idem de villa dicitur & ſtatim pòſt negatur, appoſitũ margini fuerat ab aliquo hoc ſcholium. D. In tuam ſententiam tranſeũdum mihi eſſe video, ne me quoque iudicio carere dicas.

ANT. Quandoquidem, Paule, Dionyſium in tuam ſententiam tranſire vides, ipſe ad eos locos tranſi in quibus voces reperiri dicebas quæ non à Latinitate quidem omnino, ſed à Ciceroniana, ſunt alienæ. P. Ex iis eſt quidam quem nobis oratio pro L. Flacco exhibebit, *Veridicas adiungis cauſas inimicitiarũ, quòd patri* L. *Flacci,* &c. VERIDICVS Latinum quidem eſt, ſed à Latinitate Ciceroniana videtur abhorrere: præſertim quum ſit poeticum potius quàm oratorium. AN. Quid igitur pro *ueridicas* eſt reponendum? PAV. Inuenitur in nonnullis exempl. *Veráſque*: ſed coniecturæ quo-

rundam magis placet *Et uerò.* D. Atqui memini,& in alio Ciceronis loco vocē illam quam reijcis,inueniri. Libro enim De diuinatione primo, *ſæpe etiam & in prælijs Fauni auditi, & in rebus turbidis ueridicæ uoces ex occulto miſſæ eſſe dicantur.* P. Conſiderādum eſt,à Cicerone illud ipſum vſurpari verbum quo vſus erat is apud quē hoc legerat. eúmque fuiſſe poetā potius quàm hiſtoricum, mihi ſit veriſimile. ANT. Nunc quoq; manus dat Dionyſius: ideóque aliud exemplū ipſe quoque expectat. P. Magis mirum videbitur quod nunc afferam.quoniā de verbo REPROBO dubitari poſſe dicam an ſit Ciceronianum.Nam,vt præueniam Dionyſium, fatebor in quibuſdam ſuperioris temporis editionibus legi,in Lucullo, *Qui quū Zenonis fuiſſet auditor, reprobauit ea quæ ille uerbis:* ſed quis eſt tam hebeti ingenio vt nō animaduertat *re probauit* diſiunctè ſcribendum eſſe? Scio autem & in alio quodam loco inueniri, de quo non idem dici poſsit: ſed ille apertè mendoſus, hunc non immeritò ſuſpectum reddiderit:præſertim quum tot locis verbum Improbare,non autē Reprobare,opponatur τῷ Approbare. Sed tamē,vt Dionyſio gratificer, de verbo illo nihil pronuntiabo,ſed tantùm ſuſpectum debere eſſe dicā. A. Non vis aliud exemplum,

his addere? P. Nolim certè ſilentio præterire alium quendam locum, in quo eſt vox REVERTENS: quæ quum alioqui ſit Latina, ibi non à Ciceronis ſolùm ſed ab aliorũ quoque Latinitate eſt aliena. Extat autem Tuſcul. quæſt. lib. I. En vobis illum, *Itaque dubitans, circumſpectans, hæſitans, multa aduerſa reuertens, tanquam in rate in mari immenſo, noſtra uehitur oratio.* Quid enim hîc *reuertens* ſignificare poteſt? ANT. Ne quærẽdum quidem puto quem habere hîc vſum poſsit iſtud vocabulum: quum manifeſtum ſit nullum ex eo poſſe ſenſum elici: contrà *reuerens*, quod illi valde eſt vicinum, huic loco ſit aptiſsimum. P. Atqui Lambinus quum & *ratis* pro *in rate* ſcripſiſſet, & *reuerens* pro *reuertens*, in illa ſua editione, in poſterioribus ſuis annotationibus, mutata ſententia repetit quod nuper omiſit, vt Horatij verbis vtar. AN. Quid illum de ſententia deduxit? PAV. Quod ab Adriano Turnebo de hoc loco ſcribitur. ANTO. Quid? an Lambino perſuadere potuit Turnebus, *multa aduerſa reuerens* dici poſſe? PAV. Hoc certè ex eius verbis colligi videtur. ANTON. Quæramus obſecro illam Turnebi expoſitionem. D. Quid ſi talis ea ſit vt nobis quoque ſermonem illum planè Latinũ eſſe perſuadeat? A. Mihi quidem certè non

ipſa Pitho, perſuadendi dea, iſtud perſuadere poſſet. D. Dum vos deambulabitis, locū in eius Aduerſariis quæram. P. Doctiſsimus certè vir fuit Turnebus, ac ſingulari & ingenio & iudicio præditus. A. Eo magis miror eum lectionem illam probauiſſe. D. Audite quid de loco illo ab eo ſcribatur. Corriguntur antiquæ editiones ab eruditis hominibus, quæ tamen interdū nihil emendationis indigent. velut in I. Tuſcul. quū olim legeretur, *Itaq; dubitans, circumſpectās, hæſitans, multa aduerſa reuertens, tanquam in rate, in mari immenſo noſtra uehitur oratio*: (de qua oratione, vt exiſtimo, nemo cōqueri poteſt, quin perbellè quod vult eloquatur & exprimat) corrigunt tamen, contra autoritatē veterum librorum publicorum & capſariorum, *tanquam ratis*. ANT. Nobis cum Turnebo cōuenit de altera lectione in huius locum reponenda: ſed alterius loci lectionē quomodo tueatur audire eſt operæpretium. D. *Multa aduerſa reuertens*, rationem quandam loquēdi priſcam & poeticam olet. Demonſtratur autem hac locutione æſtus eorū qui eò ſæpius vnde digreſsi ſunt, redeunt ſua per veſtigia, quòd eos cœpti itineris aut viæ pœniteat. itaque retro aduerſique reuertuntur. Multa igitur intelligo vt & in Enniano apud Ciceronem verſu,

Quanquam multa manus ad cœli cærula tepla
Tendebam lacrymans.

Loquitur enim veſtalis, quæ ſæpe ſe dicit tetendiſſe manus ad cœlum. Quare *multa aduerſa reuertitur oratio*, quæ retro redit ſæpe, & aduerſum ſe fertur, pedémque in contrarium refert, contráque id quod affirmauit, ſequutáque eſt, pronuntiat, atque aduerſum tendit, & mutat ſententiam in diuerſum. Hæc ſunt quæ ab illo ad defendendam lectionem illam afferuntur. AN. Eiuſmodi eſſe mihi non videntur quæ Lambinum de ſententia deducere debuerint. quis enim hanc expoſitionem omni ex parte violentã eſſe non fatebitur? D. Sed Reuerẽs fortaſſe pro Reformidans aliquis inſolens eſſe dixerit. P. Imò ne ipſius quidẽ Ciceronis Latinitati inſolens dici poteſt.

DI. ROGANDVS nobis nunc eſt Paulus, Antoni, vt omiſſum vel potius intermiſſum de Pſeudocicerone ſermonem perſequatur. P. Cur illum interrupiſtis? DI. Totam in Antoniũ culpam conferto, quũ ab eo tantùm fueris interpellatus. AN. At cùm tua venia id facere mihi viſus ſum. P. Recordaríſne quæ tunc à me Pſeudociceronis facta fuerit mentio? A. Equidem. memini enim te dixiſſe multos in quibuſdam editionibus eſſe locos, vbi qui eſſe creditur

Cicero, eſſe potius Pſeudocicero iudicabitur, ſi aliæ conſulantur. P. Iam mihi in memoriam ſermonem illum reuocas. Quoniam autem ibi de vetuſtioribus editionibus typographicis loquebar, hoc addere volebam, non illas tantùm, ſed quaſdam etiam ex recẽtioribus pro Cicerone nobis Pſeudociceronem exhibere. A. De Lambini editione hoc à te intelligi exiſtimo. P. Atqui non editionẽ ſed editiones dixi: nec ſolus Lambinus ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. auſus eſt in edendis operibus Ciceronis, ſed alij quoque hoc facere non dubitarunt. D. Hæc Græci prouerbij verba & vulgarem eius vſum intelligo, ſed quid nunc illis velis αἰνίττεσθαι, non ſatis aſſequor. P. In eos certè prouerbium illud iactari poſſe arbitror qui in emendandis Ciceronis operibus volunt illud αὐτὸς ἔφα pro veterum exemplariũ autoritate nobis eſſe. A. Nónne Lambinus potiſsimum hoc facit? P. Multis quidem certè vel potius plurimis in locis hoc apertè facit. non enim tantùm dicit ſibi videri, hoc vel illo modo ſcribendum, libris etiam omnibus inuitis, reclamantibus quibuſuis exemplaribus, ſed vt ſibi videri ſcribendum dicit, ita etiam ſcribit in ipſo (vt vulgò loquimur) textu, in locum eius ſcripturæ quæ in eo erat à ſe excogitatam ſubſtituens. A.

tiquis in corrigendo vtamur (id quod ego diligenter ſeruo) mutare tamen ex ingenio doctrináve aliquid aliquando liceat. Alioqui certè de moderatione hac in re adhibẽda hæc ab illo fateor addi, Sed ita parcè & verecundè, ne corrigendi libertas ad temeritatem progreſſa videatur. A. Mihi profectò valde probantur quæ hîc adiicit. P. Mihi quoque ita probantur, vt qui ex duobus malis eligendum eſſe minus cenſeam. A M. Quæ mihi duo mala narras? D. Hoc ſentit Antonius, parcè & verecundè corrigendi libertatẽ, malum eſſe, ſed minus malum. A. Atqui non vult hanc corrigẽdi libertatem ad temeritatem progredi. P. Sed quid ſi, vbi ſibi parcè & verecundè libertate illa vſus ſibi videbitur, ab aliis temerarius corrector iudicetur? Quàm multi ſunt loci quos mutatio quæ leuis & verecunda ipſis mutatoribus videbatur (quum vnica ſyllaba, exẽpli gratia, aut etiam litera mutaretur) deprauauit? A. Quod verò tuum eſt iudicium de illa ipſa emendatione quæ illi ſermonis huius occaſionem præbuit? P A V. Mihi certè placet: ſed magis placeret ſi margini adſcripta eſſet, non autem in ipſum textum (ſi hac voce ita licet vti) admiſſa. A N. Qua de re ibi agitur? P. De re. A N. Quid ſibi vult quod mihi reſpondes? P. Rogas qua de re

agatur,ego de re agi reſpondeo. A. Intelligis fortaſſe agi de illa ipſa vocula Res. P. Nimirum. A. Ciceronis locũ adeamus velim. P. Eum in epiſtola prima libri primi inueniemus. *Hortenſii & mea & Luculli ſententia cedit religioni de exercitu (teneri enim res aliter non poteſt) ſed ex illo ſenatusconſulto, quod te referente factum eſt, tibi decernit ut regem reducas, quod commodè facere poſſis: ut exercitum religio tollat, te autorem ſenatus retineat.* A. Nulla videtur hîc oriri poſſe de illo vocabulo Res controuerſia. P. Non de loco illo diſceptatur, ſed de iſto; *quod commodè facere poſſis:* quoniam in quibuſdam vetuſtis exemplaribus ſcriptum eſſe aiunt, *quod commodo rẽ facere poſſis*: Manutius autẽ ex *rem* fecit *reip.* D. Auſuſne eſt voce *rem* ſublata illam *reip.* ſubſtituere? P. Etiam. margini autem hæc adſcripſit, *Antiquà locutio alibi uſurpata.* Deinde ad ſua ſcholia lectorem remittit, vbi longam de hac lectione diſputationem ſit inuenturus. Sed in poſteriori editione, ſiue poſtrema, (ea quidem certè quę Venetiis ex filij eius officina prodiit, anno M. D. LXXII) timidiorem ſe ſiue verecundiorem oſtendit quàm antea: quippe qui lectionem illam, *quod commodo rem facere poſſis* (quam in vet. libris extare & ipſe teſtatus eſt) retinuerit, & annotatiunculam illam quam modò retuli

ricus. D. Quantum ex ijs quæ dixiſti intelligo, latius etiam patet apud Latinos huius vocabuli vſus quàm putabam. PAV. Sed non tam latè tamẽ vt in illo Ciceronis loco fieri poſsit. A. Illarúmne ſignificationũ quas habent apud eos quos dixiſti, exempla in illis quæ Dictionaria vulgus vocat, afferuntur? PAV. In ijs etiam quæ omniũ ſunt poſtrema, omiſſus eſt metaphoricus ille vſus quẽ Celſus ei tribuit. AN. Eius cognitionem'ne nobis inuideas quæſo. PAV. Non inuidebo certè, ſi locũ apud eum quęrere mihi concedatis. Ipſum enim Celſum iam video. AN. Concedimus. DI. Miror quem vſum apud medicos habeat iſtud nomen. P. Recordor & capitulum & baſim vno eodémque loco metaphoricè poni. D. Magna certè eſt Celſi autoritas. AN. Iure optimo. PAV. En vobis locum, libri 7, capite 30, *At tubercula quæ condylomata appellantur, ubi induruerunt, hac ratione curantur. Aluus ante omnia ducitur*, &c. Paulo vlterius progrediendum eſt, *Tum ſi capitulum exiguũ eſt, baſimque tenue habet, aſtringendum lino paulum ſupra eſt quàm ubi cum ano cõmittitur.* Quinetiam in ijs quę ſequũtur vtraque vox repetitur. A. Ex te ergo didicimus Capitulum condylomatibus etiam tribui, autore Celſo, ſicut & baſim. P. Capitulatas co-

ſtas idem alicubi dicit. Sed ad Ciceronem redeamus. A. Aliquíſne alius locus eius in mentem tibi venit qui vocem à Latinitate alienam habeat? P. Quorundam recordor qui voces ſi non à Latinitate omnino, at certè ab eius Latinitate alienas habent. A. Cedo nobis eas. P. A quadam initium ſumam quam nullo modo Latinam eſſe in ea quã apud eũ habet ſignificatione, affirmare quidã non dubitant. Ea eſt ASSERTIO. habent autẽ eam vulgatæ editiones lib. primo ſecundæ editionis Acad. quæſtionum: ídque tribus in locis, circa finem, *Sic omnia latere cenſebant in occulto: neque eſſe quicquam quod cerni aut intelligi poſſit. Quibus de cauſis nihil oportere neq; profiteri neque affirmare quẽquam, neque aſſertione approbare.* Et paulo pòſt, *neque hoc quicquam eſſet turpius quàm cognitioni & perceptioni aſſertionem approbationémque præcurrere.* Paucis interiectis, *ut quũ in eadem re paria contrariis in partibus momẽta rationũ inuenirentur, facilius ab utraque parte aſſertio ſuſtineretur.* ANT. Quid? hoc quoque vocabulum Nizolij Theſauro eripietur? P. Eripiemus certè, ſi Lambino fidem non eſſe derogandam cenſebimus. Is enim non ſolùm *aſſenſione*, & *aſſenſionem*, & *aſſenſio*, pro *aſſertione*, & *aſſertionem*, & *aſſertio*, reponendum eſſe ait, ſed hanc vocem quam

tollit, barbaram etiam eſſe clamat, nec acceptam. DI. Conſulamus editionem huius opuſculi, quæ ſeorſim prodiit Lutetiæ anno M. D. LIII, ex officina Adriani Turnebi, typographi regii, cũ eiuſdẽ cõmẽtario. Duplici enim eo in libro (ſicut in aliis quibuſdam) functus eſt officio, impreſſoris ſimul & enarratoris. PAV. Eum librum vnà cum Aduerſariis eius compingendum curaui. nõ diu quærendus erit. AN. Non dubito quin & in illa Turnebi editione *aſſenſio*, nõ *aſſertio*, legatur. P. Imò hæc quoque vocem iſtam *aſſertio* ſeruat, quam Lambinus barbaram in ea ſignificatione eſſe affirmat. DI. Quid? non audebo poſthac voce iſta vti, etiam ad illam ipſam rem declarandam? P. Hoc ſi audebis, nimium audax à me iudicaberis. audebis enim quod vereor vt tibi per Latinitatem liceat. DIONYS. Nunc primùm aliquam de hoc vocabulo dubitationem audio. P. At ego doctis quibuſdã viris ſuſpectum iampridẽ fuiſſe ſcio, in hac quidem certè ſignificatione. A. An & tibi ſuſpectum eſt? P. Certè. D. Atqui nónne illis Ciceronis locis conuenit? P. Nequaquam: niſi ea illi detur ſignificatio, quam à Latinitate non cõcedi aiunt. Verùm etiãſi hæc quoque illi à Latinitate concederetur, multo tamen aptiorem tribus hiſce locis

alterum eſſe vocem fatendum eſſet: quum conſtet de eo Ciceronem loqui quod illi philoſophi συγκατάθεσιν appellabant, & ipſe in alijs eiuſdem libri locis paſsim aſſenſionem vocat. Atque adeo quod ab illo dicitur duobus verbis, *aſſenſione approbare* (non autẽ, *aſſertione approbare*, vt vulgò legitur) àb illis vno verbo dicebatur συγκατατίθεσθαι. (nam à verbo συγκατατίθεσθαι ad verbum διαβεβαιοῦσθαι quidam gradus erat) & *aſſenſionem ſuſtinere*, vno verbo ἐπέχειν. Sed quid verbis opus eſt? quum (vt dixi) in alijs eiuſdem libri locis aſſenſionem ea ipſa de re dicat de qua hîc aſſertionẽ legimus, aut in his quoque voce illa vſum eſſe credendum eſt, aut vtraq; idem Latino ſermone declarari. A. Eſt certè incredibile quod poſteriore loco à te fuit propoſitum. D. Ergo illis aſſentitis, Paule, qui vocem illam aſſertio in exilium pellẽdam cenſuerũt? PAV. Aſſentior: niſi teſtimonio comprobetur alîus loci, cui nihil opponi poſsit. DI. Quid ſi te mutare ſententiam cogam? P. Tyranni hoc quidẽ eſſet, aliquem ad mutandam ſententiam adigere. D. Cogam, inquam, rationibus. PAV. Tuum Cogere, tandem erit Perſuadere. Sed audiamus ſanè rationes illas perſuaſtrices: ſi Plautino apud te vocabulo vti licet, etiam ſuſpecto. DI. Quum Rationi-

bus dixi, volui Ratione dicere. V[illegible]e-nim afferam: ſed quam tu quoque multarũ inſtar eſſe fateberis, & qua audita ſtatim ab exilio innocentem illam vocem eſſe reuocandam clamabis. P. Eo magis illam audire aueo. DI. Reſponde priùs ánnon Aſſertio ſit ab Aſſero. PAV. Quis verò negare hoc poſſet? D. Nónne Aſſero eſt velut pater, Aſſertio, velut filia? P. Hoc priùs ſciendum eſſet, an Aſſero ſit mas, & an illi inſit δύναμις γεννητική. DI. At ego non dixi Pater, ſed Tanquam pater: nec Filia, ſed Tanquam filia. A. Concede illi Paule quod poſtulat: ne nos diutius ſuſpẽſos teneat. P. Tibi igitur concedo, Aſſero eſſe velut patrem, Aſſertio velut filiam. DI. Si ius ciuitatis pater obtinet, nónne denegari filiæ nõ debet? P. Fingamus ita eſſe: nam ſine exceptione concedi hoc non poſsit. A. Intelligo iam Paule, quò tẽdat Dionyſius: ſed ſua ſpe excidet. DI. Quid? an Aſſero ius ciuitatis Romanæ obtinere negabis? P. Non negabo ſolùm, ſed pernegabo etiã. DI. Audebíſne, ſi non apud Ciceronianos tantùm ſed apud ipſum etiam Ciceronem inueniatur? P. Illorum certè parum hac in re mouerit me autoritas: at huius, multũ. D. Cedo mihi libros De officiis. P. Adſunt. DI. Irrides me, qui Lambini editionem profe-

ras. ...um filiæ bellum indixit, & patri indixiſſe credendum eſt. Quampiam ex antiquis proferri volo. P. An hæc tibi ſatis antiqua eſſe videtur? D. Satis. Locũ ſtatim inuenero, qui vobis ſilentium imponet. Tu Paule hæc lege. nam mihi legenti fidem nõ haberes. P. *Quòd ſi, qui proſcribunt uillam bonam (ut ipſi aſſerunt) benéque ædificatam, nõ exiſtimantur fefelliſſe, etiamſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione: multo minus qui domum non laudarunt.* Video hîc eſſe *aſſerunt*: ſed hoc ſimul video, hãc editionem eſſe vbique mẽdoſiſsimam, ideóque nullo modo dignam cui fides adhibeatur. D. Volo & Nizolium conſulere. Vide & Nizolij teſtimoniũ accedere. P. Cuius põderis hoc eſſe poteſt Nizolij teſtimoniũ, qui cũ errãte typographo errauerit, & hãc ipſam fortaſſe editionẽ ſequutus ſit. Alias certè editiones nobis viciſſim conſulere per te licebit, vt opinor. AN. An Simonis Colinæi, Roberti Stephani & Caroli fratris eius editionibus contentus eris? DI. Equidem. A. En tibi tres illas. D. Spero fore vt ex tribus vna ſaltem pro me faciat. A. Iam quidem à duabus editionibus, vna Colinæi, altera Rob. Stephani, abeſſe verba illa vides. D. Inſpice nũc eam quæ ex Caroli officina prodiit. A. Hæc certè (quod valde miror) à tuis ſtat partibus.

habet enim illa verba, *ut ipſi aſſerunt.* I.
At ego in iſtà eſſe verba hęc non miror, ſed potius à cęteris abeſſe mirum mihi videtur. ANT. Libet Badianam quoque conſulere; quæ etiam inter antiquas habenda eſt. licet minus antiqua ſit quàm ea quæ primò à nobis inſpecta fuit. Nuſquam certè ne in hac quidem illa verba comparent. P. Cui verò, non carenti iudicio, manifeſtum non ſit, ex ſcholio verba illa irrepſiſſe? quoniam enim idem de villa dicitur & ſtatim pòſt negatur, appoſitũ margini fuerat ab aliquo hoc ſcholium. D. In tuam ſententiam tranſeũdum mihi eſſe video, ne me quoque iudicio carere dicas.

ANT. Quandoquidem, Paule, Dionyſium in tuam ſententiam tranſire vides, ipſe ad eos locos tranſi in quibus voces reperiri dicebas quæ non à Latinitate quidem omnino, ſed à Ciceroniana, ſunt alienæ. P. Ex iis eſt quidam quem nobis oratio pro L. Flacco exhibebit, *Veridicas adiungis cauſas inimicitiarũ, quòd patri* L. *Flacci,* &c. VERIDICVS Latinum quidem eſt, ſed à Latinitate Ciceroniana videtur abhorrere: præſertim quum ſit poeticum potius quàm oratorium. AN. Quid igitur pro *ueridicas* eſt reponendum? PAV. Inuenitur in nonnullis exempl. *Veráſque*: ſed coniecturæ quo-

rundam magis placet *Et verò*. D. Atqui memini,& in alio Ciceronis loco vocẽ illam quam reijcis,inueniri. Libro enim De diuinatione primo, *ſæpe etiam & in prælijs Fauni auditi, & in rebus turbidis veridicæ voces ex occulto miſſæ eſſe dicuntur*. P. Conſiderãdum eſt,à Cicerone illud ipſum vſurpari verbum quo vſus erat is apud quẽ hoc legerat. eúmque fuiſſe poetã potius quàm hiſtoricum, mihi ſit veriſimile. ANT. Nunc quoq; manus dat Dionyſius: ideóque aliud exemplũ ipſe quoque expectat. P. Magis mirum videbitur quod nunc afferam. quoniã de verbo REPROBO dubitari poſſe dicam an ſit Ciceronianum. Nam, vt præueniam Dionyſium, fatebor in quibuſdam ſuperioris temporis editionibus legi, in Lucullo, *Qui quũ Zenonis fuiſſet auditor, reprobauit ea quæ ille verbis*: ſed quis eſt tam hebeti ingenio vt nõ animaduertat *re probauit* diſiunctè ſcribendum eſſe? Scio autem & in alio quodam loco inueniri, de quo non idem dici poſſit: ſed ille apertè mendoſus, hunc non immeritò ſuſpectum reddiderit: præſertim quum tot locis verbum Improbare, non autẽ Reprobare, opponatur τῷ Approbare. Sed tamẽ, vt Dionyſio gratificer, de verbo illo nihil pronuntiabo, ſed tantùm ſuſpectum debere eſſe dicã. A. Non vis aliud exemplum

his addere? P. Nolim certè ſilentio præterire alium quendam locum, in quo eſt vox REVERTENS: quæ quum alioqui ſit Latina, ibi non à Ciceronis ſolùm ſed ab aliorũ quoque Latinitate eſt aliena. Extat autem Tuſcul. quæſt. lib. 1. En vobis illum, *Itaque dubitans, circumſpectans, hæſitans, multa aduerſa reuertens, tanquam in rate in mari immenſo, noſtra uehitur oratio.* Quid enim hîc *reuertens* ſignificare poteſt? ANT. Ne quærẽdum quidem puto quem habere hîc vſum poſsit iſtud vocabulum: quum manifeſtum ſit nullum ex eo poſſe ſenſum elici: contrà *reuerens*, quod illi valde eſt vicinum, huic loco ſit aptiſsimum. P. Atqui Lambinus quum & *ratus* pro *in rate* ſcripſiſſet, & *reuerens* pro *reuertens*, in illa ſua editione, in poſterioribus ſuis annotationibus, mutata ſententia repetit quod nuper omiſit, vt Horatij verbis vtar. AN. Quid illum de ſententia deduxit? PAV. Quod ab Adriano Turnebo de hoc loco ſcribitur. ANTO. Quid? an Lambino perſuadere potuit Turnebus, *multis aduerſa reuerens* dici poſſe? PAV. Hoc certè ex eius verbis colligi videtur. ANTON. Quæramus obſecro illam Turnebi expoſitionem. D. Quid ſi talis ea ſit vt nobis quoque ſermonem illum planè Latinũ eſſe perſuadeat? A. Mihi quidem certè non

ipſa Pitho, perſuadendi dea, iſtud perſuadere poſſet. D. Dum vos deambulabitis, locũ in eius Aduerſariis quæram. P. Doctiſsimus certè vir fuit Turnebus, ac ſingulari & ingenio & iudicio præditus. A. Eo magis miror eum lectionem illam probauiſſe. D. Audite quid de loco illo ab eo ſcribatur. Corriguntur antiquæ editiones ab eruditis hominibus, quæ tamen interdũ nihil emendationis indigent. velut in I. Tuſcul. quũ olim legeretur, *Itaq; dubitans, circumſpectãs, hæſitans, multa aduerſa reuertens, tanquam in rate, in mari immenſo noſtra uehitur oratio*: (de qua oratione, vt exiſtimo, nemo cõqueri poteſt, quin perbellè quod vult eloquatur & exprimat) corrigunt tamen, contra autoritatẽ veterum librorum publicorum & capſariorum, *tanquam ratis*. ANT. Nobis cum Turnebo cõuenit de altera lectione in huius locum reponenda: ſed alterius loci lectionẽ quomodo tueatur audire eſt operæpretium. D. *Multa aduerſa reuertens*, rationem quandam loquẽdi priſcam & poeticam olet. Demonſtratur autem hac locutione æſtus eorũ qui cò ſæpius vnde digreſsi ſunt, redeunt ſua per veſtigia, quòd eos cœpti itineris aut viæ pœniteat. itaque retro aduerſique reuertuntur. Multa igitur intelligo vt & in Enniano apud Ciceronem verſu,

Quanquam multa manus ad cœli cærula templa
Tendebam lacrymans.

Loquitur enim veſtalis, quæ ſæpe ſe dicit tetendiſſe manus ad cœlum. Quare *multa aduerſa reuertitur oratio*, quæ retro redit ſæpe, & aduerſum ſe fertur, pedémque in contrarium refert, contráque id quod affirmauit, ſequutáque eſt, pronuntiat, atque aduerſum tendit, & mutat ſententiam in diuerſum. Hæc ſunt quæ ab illo ad defendendam lectionem illam afferuntur. AN. Eiuſmodi eſſe mihi non videntur quæ Lambinum de ſententia deducere debuerint. quis enim hanc expoſitionem omni ex parte violentã eſſe non fatebitur? D. Sed Reuerẽs fortaſſe pro Reformidans aliquis inſolens eſſe dixerit. P. Imò ne ipſius quidẽ Ciceronis Latinitati inſolens dici poteſt.

DI. ROGANDVS nobis nunc eſt Paulus, Antoni, vt omiſſum vel potius intermiſſum de Pſeudocicerone ſermonem perſequatur. P. Cur illum interrupiſtis? DI. Totam in Antoniũ culpam conferto, quũ ab eo tantùm fueris interpellatus. AN. At cùm tua venia id facere mihi viſus ſum. P. Recordaríſne quæ tunc à me Pſeudocicero-nis facta fuerit mentio? A. Equidem. memini enim te dixiſſe multos in quibuſdam editionibus eſſe locos, vbi qui eſſe creditur

Cicero, eſſe potius Pſeudocicero iudicabitur, ſi aliæ conſulantur. P. Iam mihi in memoriam ſermonem illum reuocas. Quoniam autem ibi de vetuſtioribus editionibus typographicis loquebar, hoc addere volebam, non illas tantùm, ſed quaſdam etiam ex recẽtioribus pro Cicerone nobis Pſeudociceronem exhibere. A. De Lambini editione hoc à te intelligi exiſtimo. P. Atqui non editionẽ ſed editiones dixi: nec ſolus Lambinus ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν auſus eſt in edendis operibus Ciceronis, ſed alij quoque hoc facere non dubitarunt. D. Hæc Græci prouerbij verba & vulgarem eius vſum intelligo, ſed quid nunc illis velis αἰνίττεσθαι, non ſatis aſſequor. P. In eos certè prouerbium illud iactari poſſe arbitror qui in emendandis Ciceronis operibus volunt illud αὐτὸς ἔφα pro veterum exemplariũ autoritate nobis eſſe. A. Nónne Lambinus potiſsimum hoc facit? P. Multis quidem certè vel potius plurimis in locis hoc apertè facit. non enim tantùm dicit ſibi videri hoc vel illo modo ſcribendum, libris etiam omnibus inuitis, reclamantibus quibuſuis exemplaribus, ſed vt ſibi videri ſcribendum dicit, ita etiam ſcribit in ipſo (vt vulgò loquimur) textu, in locum eius ſcripturæ quæ in eo erat à ſe excogitatam ſubſtituens. A.

Quinetiam quodam loco ſuarum in Ciceronis orationes annotationum ſcribit, Sed contemnamus ſanè librorũ veterum aliorúmque autoritatem & conſenſum, niſi veritas ipſa hanc ſcripturam poſtulet. ANT. Nónne hoc rectè ab illo dicitur, videndum eſſe quid veritas poſtulet? P. Rectiſsimè hoc dicit (nihil enim plus ponderis quàm veritas his etiam in rebus habere apud nos debet) ſed quòd interim incerta pro certis lectori dat, hoc profectò rectè non facit. AN. Non ſatis aſſequor quid velis. P. Non de illo ipſo loco me hîc loqui ſcito in quẽ illa annotat, ſed de multis alijs (ne dicam infinitis) in quibus librorum veterum aliorúmque autoritate contempta, pro certa illorum lectione (qualiſcũque illa erat) ſubſtituit quam à veritate poſtulari iudicabat: ſic tamen vt interim quum incertum eſſet illius iudicium, incertam pariter eſſe illam ſubſtitutam lectionem neceſſe eſſet, & à veritate multo fortaſſe longius remotam quàm quæ erat in ijs quos aſpernabatur codicibus. A. Sed plerunque talia in vetuſtis leguntur libris, ex quibus nullus elici ſenſus poſsit: vocabula multis in locis nobis exhibent ita deprauata, vt nec cuiatia ſint, ſi ſeorſum proponantur, dici queat. P. In eiuſmodi locis vulgata lectio retinenda

fuiſſet, lectiones illæ qualeſcũq; erant margini adſcribendæ, adiectis (ſi ita viſum eſſet) illis quas veritas poſtulare videbatur. A. Cõtempta ſanè & irriſa etiam fuiſſent à plurimis talia verborum velut monſtra. P. Sed à quibuſdam ſagacibus viris magno gaudio fuiſſent excepta, vtpote verarũ lectionum ſemina: quemadmodum Ioſephum Scaligerum ex illis vocabulorum monſtris (vt tu appellas) adhibitis ſagacibus cõiecturis electiones veriſsimas vides elicere. A N. In Manutio (opinor) tãtam audaciam quãtam in Lambino nõ deprehendiſti. P. Nõ equidem tantam, ſed valde periculoſam tamẽ & ipſam. Neque verò in poſteriori ſuorum in Epiſtolas familiares (ſiue ad familiares) editione, diſsimulat non magni à ſe veterum librorum autoritatem fieri. Quàm multa enim (inquit) contra veterum librorum autoritatem, adiuuãte hiſtoria, ſentẽtia, ipſa etiam Latini ſermonis regula, non modò ſine reprehẽſione, verùm etiam cum laude ſumma docti homines immutarunt? A. Nonne hoc intelligit de iis emendationibus quæ margini aut calci ipſius libri adſcribuntur? P. Nequaquam: ſed de iis quæ in ipſo textu (vt vulgò appellari dixi) emendantur. Quinetiam addit, Mihi ſanè videtur, vt in omni re, ſic in hoc induſtriæ genere modus quidam eſſe: vt libris quidem an-

tiquis in corrigendo vtamur (id quod ego diligenter ſeruo) mutare tamen ex ingenio doctrináve aliquid aliquando liceat. Alioqui certè de moderatione hac in re adhibẽda hæc ab illo fateor addi; Sed ita parcè & verecundè, ne corrigendi libertas ad temeritatem progreſſa videatur. A. Mihi profectò valde probantur quæ hîc adiicit. P. Mihi quoque ita probantur, vt qui ex duobus malis eligendum eſſe minus cenſeam. AM. Quæ mihi duo mala narras? P. Hoc ſentit Antonius, parcè & verecundè corrigendi libertatẽ, malum eſſe, ſed minus malum. A. Atqui non vult hanc corrigẽdi libertatem ad temeritatem progredi. P. Sed quid ſi, vbi ſibi parcè & verecundè libertate illa vſus ſibi videbitur, ab aliis temerarius corrector iudicetur? Quàm multi ſunt loci quos mutatio quæ leuis & verecunda ipſis mutatoribus videbatur (quum vnica ſyllaba, exẽpli gratia, aut etiam litera mutaretur) deprauauit? A. Quod verò tuum eſt iudicium de illa ipſa emendatione quæ illi ſermonis huius occaſionem præbuit? PAV. Mihi certè placet: ſed magis placeret ſi margini adſcripta eſſet, non autem in ipſum textum (ſi hac voce ita licet vti) admiſſa. AN. Qua de re ibi agitur? P. De re. AN. Quid ſibi vult quod mihi reſpondes? P. Rogas qua de re

agatur, ego de re agi reſpondeo. A. Intelligis fortaſſe agi de illa ipſa vocula Res. P. Nimirum. A. Ciceronis locũ adeamus velim. P. Eum in epiſtola prima libri primi inueniemus. *Hortenſii & mea & Luculli ſententia cedit religioni de exercitu (teneri enim res aliter non poteſt) ſed ex illo ſenatuſconſulto, quod te referente factum eſt, tibi decernit ut regem reducas, quod commodè facere poſſis: ut exercitum religio tollat, te autorem ſenatus retineat.* A. Nulla videtur hîc oriri poſſe de illo vocabulo Res controuerſia. P. Non de loco illo diſceptatur, ſed de iſto; *quod commodè facere poſſis:* quoniam in quibuſdam vetuſtis exemplaribus ſcriptum eſſe aiunt, *quod commodo rē facere poſſis*: Manutius autē ex *rem* fecit *reip.* D. Auſúſne eſt voce *rem* ſublata illam *reip.* ſubſtituere? P. Etiam. margini autem hæc adſcripſit, *Antiquà locutio alibi uſurpata.* Deinde ad ſua ſcholia lectorem remittit, vbi longam de hac lectione diſputationem ſit inuenturus. Sed in poſteriori editione, ſiue poſtrema, (ea quidem certè quę Venetiis ex filij eius officina prodiit, anno M. D. LXXII) timidiorem ſe ſiue verecundiorem oſtendit quàm antea: quippe qui lectionem illam, *quod commodo rem facere poſſis* (quam in vet. libris extare & ipſe teſtatus eſt) retinuerit, & annotatiunculam illam quam modò retuli

margini non adſcripſerit: ſed totam illa diſceptationem in ſcholia ſua reſeruarit. D. Interim verò nullámne facit mētionem illius lectionis, *quod commodè facere poſſis*, quā nobis multæ ſuperioris temporis editiones typographicæ exhibent? P. Nullam certé. DI. Scio tamen Badianam eſſe vnam ex iis quæ illam habent. P. Videamus ánnon & Aldina illam habeat, quæ in lucē venit anno M.D.XXII. Ecce vocem *commodè* in illa quoque. Quinetiā Victorius in explicationibus ſuarum in Ciceronem caſtigationū teſtatur, quum olim *commodè* hîc legeretur, nonnullos poſtea emendaſſe, *commodo reip.* non omnino ineptè, aut longè à vetere lectione: nec tamen penitus cum ea cōcordantes, quę in vet. libris eſſet, *quod commodo rē facere poſſis*. A. Exiſtimáſne, Victoriū, quū illo modo quoſdam emēdaſſe dicit, de Manutio inter alios id intelligere? aut exiſtimare Manutium emendationis illius autorem fuiſſe? P. Mihi non fit veriſimile. DI. Primus tamen locum illum emendauerit neceſſe eſt, quum ſibi illam emendationem adſcribat. P. Niſi dicamus. DI. Quídnam? cur inchoato tantùm ſermone nos ſuſpenſos relinquis? PAV. Malo à vobis cogitari quod dicturus eram, quàm à me dici. A. At Lambini editio illa percelebris quę prodiit

an... D. L X V I, quam lectionem habet? P. Recordor in ea quoque eſſe, *quod commodo reip. facere poſſis.* A. Quid? an nulla ne ab eo quidem fit illius prioris lectionis mẽtio? *quod commodè facere poſſis.* P. Nulla. A. Mirũ ſanè hanc lectionẽ οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ tam illi quàm Manutio fuiſſe: quum præſertim in editionibus reperiatur quæ audaciæ correctricis minimè ſuſpectæ eſſe poſsint. DI. Addo etiam, idem aduerbiũ cum eodẽ verbo in eodem eiuſdem ſcriptoris opere extare. Memini enim in prima libri decimi tertii epiſtola legi, *Itaque non dubitabo dare operam ut te uideam quum id ſatis commodè facere potero.* AN. Oblitus ſum ex te ſciſcitari, Paule, an Lambinus de lectione illa *commodo reip.* lectorem non admoneat, in ea tributũ eſſe aliquid coniecturæ. P. Ne de hoc quidem admonet. Sed nimium diu in illo immoramur loco: ideóque hoc vnum addam, ſi vtroque modo ſcriptus eſt in vetuſtis exemplaribus, & *commodè facere poſſis*, & *commodo rem facere poſſis*, debuiſſe potius in textu poni ſcripturam illam quàm hanc, apertè mendoſam: (etiamſi Commodò aduerbialiter pro Commodè poſitum inueniri concedamus) margini tamẽ hanc quoque adſcribendo, vnà cum illa emendatione à qua adiuuari poſſet: qua nimirum vo-

cula *rem* in *reip.* mutatur: quum hanc quoq; lectionem conuenire loco fatendum ſit. A. Optima hæc fuerit quemuis locum corrigendi ratio.

PAV. Non longè abeundum erit vt aliũ locũ inueniamus, in quo Manutius, ſublata itidem lectione paſsim recepta, & quam ipſe adeo in præcedẽtibus ſuis editionibus ſequutus erat, aliam ſubſtituit. Quum enim Cicero eandem illam epiſtolã his claudat verbis (vt quidẽ in alijs legitur editionibus) *Noſtrã fidem omnes, amorem tui abſentis præſẽtes tui cognoſcent. Si eſſet in ijs fides in quibus ſũma eſſe debebat, non laboraremus* quum inquam hæc ſint poſtrema illius epiſtolæ verba in alijs exemplaribus typographicis, & quidem in ijs etiam quæ antea ex ipſius Manutij typographia prodierant, nunc in illis quibus ſcholia recognita poſtremò & aucta fuerunt adiuncta, ſcribit, *Noſtram fidem omnes, amorem tui abſentis præſentiſque cognoſcent.* Atque in ſcholijs loco illi annotationem nouam apponit (nouam appello quæ in ſuperioribus horum ſcholiorum editionibus non erat) in qua ſcribit, eſſe qui legãt (potius autẽ dicendum fuerat, omnes legere, quàm aliquos eſſe qui legãt) *præſentes tui* rectè fortaſſe: ſibi tamen ſententiam non arridere. quæ enim (inquit) hæc amoris & fidei

fid... minimè neceſſaria diſtinctio? cur non & amor ſimul cum fide ab omnibus,& fides item ſimul cum amore à præſentibus cognoſcatur? Quanto planius & commodius, *Noſtram fidem omnes, amorem tui abſentis præſentiſque cognoſcent.* ANT. Aſſentiriſne Manutio de hac lectione? P. Imò verò miror, mirari Manutium, alijs alteram lectionem placuiſſe: nec minus mirum mihi eſt eam illi diſplicuiſſe. D. Sed rationem addit ob quam ſibi placeat vna, diſpliceat altera. P. Illam excutiamus. Offendit eum fidei & amoris diſtinctio: at ego hæc à Cicerone ita diſtingui nego, quaſi fides abſque amore eſſe, ac viciſsim amor fide carere poſsit: ac potius in ea diſtinctione ad illos duos nominatiuos, Omnes, & Præſentes tui, reſpicere Ciceronem dico. perinde acſi ita loquutus eſſet, Noſtram in te fidem cognoſcent omnes: amorem autem ſi non itidem omnes cognoſcere poterũt, ſaltem præſentes tui. A. Quid ſi verò aliquis vnà cum Manutio ex te quærat cur non & amor ſimul cum fide ab omnibus & fides item ſimul cũ amore à pręſentibus cognoſci poſsit? PAV. Quod ad poſteriorem huius interrogationis partẽ attinet, eum falli dico in eo quòd putat Ciceronem dicere præſentes non cognituros fidem, ſed tãtùm amorem: (quum

enim dixit Omnes, hoc vocabulo incluſit etiam Præſentes) priori autem parti, cur nō amor ſimul cum fide ab omnibus cognoſci poſsit, reſpondeo, quòd multa ſint amoris noſtri indicia, quibus noſtrā erga quēpiam beneuolētiam teſtari poſſumus, vel (vt breuius dicam, & quidem ipſius vtens Ciceronis verbis in quadā ad Appium Pulchrum epiſtola) multa ſint amoris atque officij ſigna, quæ à præſentibus duntaxat cognoſci poſsint: quum tamen noſtra in eum fides non itidem à præſentibus tātùm ſed etiam ab illis qui abſunt, atque adeo ab omnibus cognoſci poſsit, ex ijs nimirum quæ ab illa proficiſcuntur. D I. Illa autem lectio quam ſequi mauult Manutius, nónne tibi ferri poſſe videtur? P. Eam minus reiicerem, ſi ſcriptum in ea eſſet, non, *tui abſentis præſentiſque*, ſed, *tui præſentis abſentiſque*. Exiſtimo enim potius hunc ordinem ſequuturum fuiſſe Ciceronem, volentem ſignificare, talem ſuam fidē amorémque erga abſentem fore qualis erga pręſentē ſemper fuiſſet. Sed tamen alteram lectionem *præſentis tui* malim. Obſeruaui enim apud Ciceronem aliquot locos qui pro hac lectione faciunt. quorum è numero eſt hic, epiſt. nona libri tertij, quæ Appio Pulchro ſcripta eſt, *Ad urbem uerò ut acceſſeris, uel po-*

tius ut primùm tuos uideris, cognoſſe te ex iis qua in te abſentem fide, qua in omnibus officiis tuẽdis erga te obſeruantia & conſtantia fuiſſem. Hic etiam quo clauditur epiſtola octaua libri quinti, *Quamobrem uelim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, max.&c.& tuis præcipias ut opera, conſilio, autoritate, gratia mea ſic utantur in omnibus publicis, priuatis, forenſibus, domeſticis, tuis, amicorum, hoſpitum, clientium tuorum negotiis: ut quoad eius fieri poſſit, præſentiæ tuæ deſiderium meo labore minuatur.* A. Quid verò Lambinus de lectione illa *tui abſentis præſentíſque* ſcribit? PAV. Nullam eius mẽtionem facit. A. Manutius tamen in duobus antiquis libris eam ſe inueniſſe ſcribit. PAV. Scribit. ſed cõtingere poteſt vt ex decem, vel quindecim, vel viginti, aut etiam multo pluribus exemplaribus, duo tãtùm hanc vel illam lectionem habeant: quinetiam vnum duntaxat ex omnibus eam habeat. DI. Sed quum hoc contingit, paucis potius quàm multis adhibenda fides non eſt. PAV. Imò verò librorum veterum teſtimonia, minimè tanquam populi ſuffragia numerari debent. nam ſæpe vnicum, in quo perſpicimus neſcio quid ἀφυὲς, plus fidei in rebus dubiis impetrare à nobis debet quàm alia quantumuis multa. Exemplò eſſe poteſt illud ex quo Henricus Stephanus

quoſdam orationum Ciceronis locos emẽdauit. quis enim fateri non cogatur illud ἓν ἀντάξιον πολλῶν aut etiam μυρίων fuiſſe? ANT. Loquerìſne de locis illis quos emendauit in libro quem Caſtigationes in Ciceronem inſcripſit, cuius antè mentionem feciſti? P. Certé. Subiunctus eſt autẽ hic liber (vel potius libellus) Ciceroniano eius Lexico Græcolatino. Sunt profectò non paucæ ex illo quo vſus eſt exemplari depromptæ lectiones, quibus quanuis omnes poſtea ſint aſſenſi (qui autem diſſentire voluiſſent, eadẽ opera ſolem meridie lucere negare potuiſſent) ſi tamẽ omnia quæ vſquã extãt exẽplaria in locũ vnũ cõportarentur, vix fortaſſe quadrageſimũ, vix quinquageſimũ quodq; eaſdem exhiberet. Atque vtinam non partem tantùm vel potius particulam orationum, ſed totũ corpus in illo exemplari nactus fuiſſet: multis certè multas de multis locis dubitationes exemiſſet. D. Raròt (vt opinor) talia exemplaria ſuppeditãt bibliothecæ illis qui editiones typographicas cũ manuſcriptis libris conferunt. PAV. Imò talia plurimùm præbent quæ ἓν παρ' ἐσθλὸν (volo enim imitari loquendi genus Pindaricum) πήματα (id eſt σφάλματα) πεντάκοντα δαίονται. Illorũ tamẽ plerique quorum in manus veniunt, omnia quæ ex illis proficiſcũtur,

tanquam πυθόχρησα quædam amplectenda exiſtimantes, omnia quæ in typographicis editionibus ſecus leguntur, mutare non dubitant. AN. Non mirum igitur ſi tot tã ſtultæ lectionum receptarum mutationes in editionibus nouis reperiuntur. PAV. Nequaquam: atque hanc ob cauſam ſortē ſcriptorum veterum deplorat idem Henricus Stephanus in poematio quod ab eo inſcriptũ eſt *Querimonia typographica*. Extat verò & quædam eius Epiſtola, ſeorſum edita, qua ad multas multorum amicorum reſpõdet, de ſuæ typographiæ ſtatu: nominatímque de ſuo Theſauro Græcæ linguæ. In poſteriore autem eius parte, quàm miſera ſit hoc tempore veterum ſcriptorum cõditio, in quorundam typographorum prela incidentium, exponit. DI. Eam habes? P. Habeo, & iamiam afferam. ANT. Nunc primùm audio eum epiſtolam hoc argumēto ſcripſiſſe. D. Ego quoque. ſed multorum libellis potius quàm libris iuſtæ magnitudinis, hoc vſuuenit vt ſerius innoteſcant. P. Ecce illam Stephani epiſtolã: & credo meã memoriam in recitando vobis eius titulo ſatis fidelem fuiſſe. Quòd ſi libet, locum vobis indicabo, in quo veram cauſam tot ineptarum in recentioribus typographorum editionibus mutationũ (quæ per antiphra-

ſim emendationes vocantur)patefacere videtur. Sed ea lege indicabo vt à Dionyſio nobis recitetur. D. Ego ſanè, quem recitatorem deligis, nunquam phonaſco dedi operam: ſed tibi tamen libenter morem geram. Locum igitur oſtende. DI. Accedit autẽ (inquit) recẽs hoc mali genus ad aliud quoddam iam inueteratum: quod tamen cùm in dies ingraueſcere videamus, quid aliud à duobus hiſce malis (quæ meritò duas lues ac peſtes vocare poſſumus) expectandum nobis, quàm veterum ſcriptorum miſeranda deformitas? Inueteratũ autem appello malũ, quod ſtatim poſt primas, ſcriptorum Latinorum prę ſertim, typographicas editiones (id eſt, quæ à primis prodierãt typographis) graſſari in eos cœpit. Quũ enim quotidie vetera eorum exemplaria è tenebris emergerent, quidam cum his excuſa conferebant, qui quaſcunque diuerſas lectiones inuenerant, totidem caſtigationes eſſe credentes, mox cuipiam typographo tradebãt, à quo paucis pòſt diebus aut menſibus noua prodibat editio, veterum exemplarium ope lõgè cæteris caſtigatior, vt quidem titulus pollicebatur, vel potius mentiebatur. Quotaquæque enim ex iis, ſi verè loquendum fuiſſet, non potius cæteris deprauatior dici debuiſſet? Atqui lectiones

illæ diuerſæ ex veteribus libris ſumptæ erãt. Fateor: ſed heus tu, vnde niſi ex vetuſtis itidem libris ſumptæ erant illæ quas nunc indicta cauſa expellis? Inſignia autem huius temeritatis exempla in Ouidij poematis habemus, quæ poſt Aldinam editionem prodierunt. quum enim paſsim in bibliothecis vetera poematum illius exemplaria extarẽt, nominatim verò in quibuſdam Pariſienſibus, præſertímque in ea quã abbatia ſancti Victoris habet, multi certatim exemplaria illa inter ſe conferebant, certatim diuerſas lectiones annotabant, certatim in locum Aldinarum ſubſtituebãt, certatim vt noua editio his inſignita prodiret, operam dabãt. Hoc verò quid aliud erat quàm certatim adfœdanda tam pulchra poemata contendere? quum pauciſsima inueniri horum poematum exemplaria cũ iis quibus Aldus olim vſus eſt, comparanda, eius editio cùm iis quæ ab illa deſciuerunt, collata, apertè indicet. Quod certè vel illa qua Tibulli mortem deflet elegia teſtari luculentè poteſt. Quamobrem ab exemplis inde petitis initium ſumam. P. Inſignia ſunt profectò quæ ſubiungit exempla. D. Nullam aliam recitationis mercedẽ à te peto Paule, quàm vt ipſum libellum mihi commodes. P. Imò, non commodabo tantùm libenter, ſed

donabo etiam. D. Gratias tibi ago.

Tam tenero dono quàm ſi ſit grande uolumen.

PAV. Tibi verò Antoni(ne ſit quod Dionyſio inuideas) iſtum eiuſdem Henrici Stephani libellum, Querimoniã artis typographicæ, dono. ANT. Non gratias ego ſed grates ago, vt in accipiendo libello poetico, magis poeticè loquar.

Nemo hodie ex nobis à te indonatus abibit.

PAV. Quod tuum eſt, Antoni, iudicium de loco illo quem Dionyſius recitauit? ANT. Non alia certè videtur eſſe tanti mali origo quàm quæ ibi ab Henrico Stephano deſcribitur: ac profectò quantum ex his illius verbis colligere poſſumus, ſi res vniuerſa typographica illius arbitrio regeretur, non quotidie ita in veterũ ſcriptorũ editionib⁹ nouis nouatos ſimul tot locos haberemus, id eſt, nouis lectionibus mutatos. P. Non equidẽ. Sed veniam fortaſſe daret iis qui nihil in textum (vt vulgò appellamus) inferrent niſi quod ex vetuſto quopiam exemplari ſumptum eſſet, etiamſi nullo adhibito iudicio non tantùm quadrata rotundis ſed etiam χρύσεα χαλκείοις mutarẽt: at qui ſuas quoq; coniecturas in illum intruderẽt, non impunè ferrent: præſertímque ſi in illis etiã quæ audaculæ videri poſſent, id ſibi permitterent. A. Digni certè ſunt qui ſaltem mul-

ctentur. Verum enim eſſe perſpicio quod antea dixiſti, partim vetuſtiores editiones typographicas, partim recẽtiores ex Cicerone nobis Pſeudociceronem efficere. DI. Verum certè fuerit hac in parte, & illud quod quidam olim dicere ſolebat, libros emendatos eſſe qui emẽdati non eſſent. A. Illam tamẽ emendãdi libertatẽ vel potius licentiam per varios libros longè ante noſtra tempora graſſatam eſſe, vel ex eo cognoſcimus quod Priſcianus de quibuſdam Ciceronis locis ſua etiam ætate corruptis queritur. Poſtquam enim attulit ex Cic. in Verrem oratione quarta, *Quod Siculus à ciui Romano, ciuis Romanus datur*: item, *Primum ſuæ legis, quod ciuis cum ciui ageret*, ſubiungit, Sic enim veteres codices habent: quos imperitia quorundam corrumpit, mutantium ſcripturas.

ANT. Sed quomodo in his tot locorum Ciceronis mutationibus ſe gerunt Ciceroniani? P. Plerique ex illis cum Pſeudocicerone redduntur Pſeudociceroniani. ANT. Quomodo id contingit? P. Ex nimio nouitatis ſtudio. plerique enim partim quæ rara ſunt in Cicerone ſiue vocabula ſiue loquendi genera, partim etiam noua, conſectantur. A. Quæ vocas noua? P. Quæ recentes editiones attulerunt. A. Atqui ſu-

ſpecta illis ea eſſe deberent. P. Deberent eorum ſaltē nonnulla, ſiquo iudicio prædi-ti eſſent. D. Inſitum certè omnibus eſt τὸ φιλόκαινον. P. Procul tamen à nobis abeſſe debet quum ſermonis puritas quæritur. Sed quum inſolens vocabulum quidam olim vitandum dixerit tanquam ſcopulum, illi cōtrà, tanquā pretioſam quampiam gēmā, cōſectantur. D. Ex illis autē raris quæ dicis, quædā in vetuſtioribus etiā editionibus typographicis inueniuntur. P. Maximè. D I. Cur hæc quoq; tantopere illis placent? P. Nónne ſcis, quod rarū eſt, eſſe vel hoc nomine pretioſum? D. Sed in vocabulis quoque ſiue loquēdi generibus nō ſemper hoc verū eſſe puto. P. Illi tamē hoc ſibi perſuaſerunt. A. Eos non reprehendis qui raris vtuntur vbi alia deſunt. P. Nequaquam: nam ipſe quoque illis tum vti cum aliquo etiam periculo velim. Sed mihi reprehenſione digniſsimi vidētur qui vbi etiam alia ſuppetunt, quæ vſitatiſsima ſunt, neſcio quas multis inauditas voces vſurpāt. Exēpli gratia, non potui riſum continere nuper quum apud quendam CONSOCIATISSIMVS legerem. D. Inauditam mihi eſſe hanc vocem fateor. AN. Mihi quoque eſt inaudita. Vnde quæſo manauit? an ex Cicerone? P. Si quædam epiſtolarum Ci-

ceronis exemplaria vocare Ciceronẽ poſſumus; ex Cicerone manaſſe dicemus. In tertia enim libri tertij earum quæ ad familiares ſcriptæ ſunt, legimus, *Nunc* (*quod à te petii literis iis quas* Romæ *tabellariis tuis dedi*) *velim tibi curæ ſit ut quæ ſucceſſori coniunctiſſimo & amiciſſimo commodare poteſt is qui prouinciã tradit, ea pro noſtra conſociatiſſima uolũtate erga te, cura ac diligentia tua complectare.* ANT. Quid? an ita in omnibus vetuſtis exemplaribus ſcriptum eſt? P. Imò plura ſunt quæ *conſtantiſſima* habent quàm quæ *conſociatiſſima*. A. Sed ille cuius nomini vis parcere, vtebatúrne illo adiectiuo cum eodẽ ſubſtãtiuo? P. Etiam. A. Mirũ eſt eum nõ potius conſtantiſsimam voluntatem dixiſſe. PAV. Atqui raro non fuiſſet vſus vocabulo. AN. Eſtne ita ſcriptum in aliquibus typographicis editionibus? P. Eſt certè in iis quæ P. Victorij caſtigationes ſunt ſequutæ. A. Illam igitur lectionẽ probat Victorius. P. Et valde quidem ſibi eam probari oſtẽdit, quum ſcribit, vetuſtos codices non *conſtãtiſſima*, ſed *conſociatiſſima* habere, quæ lectio elegãtior ſit & verior. Neſcio enim (inquit) quomodo conſtantiſsimam ſuam voluntatẽ erga Appium dicere poſsit, quæ magnis ſimultatibus interrupta ſit. Nam conſociatas eorum inter ſe voluntates poſt recõ-

ciliatam gratiam rectè poteſt appellare. Quinctiam addit, quoſdam totum hunc locum immutaſſe,ratos fortaſſe parum Latinam vocem eſſe Cõſoc iatas: qui quãtum decepti ſint (inquit) nihil attinet dicere. Hęc ille, de altera lectione ita loquẽs quaſi quæ ex vetuſtis & ipſa libris non prodierit, ſed ex alicuius emendatione ſit profecta: quum tamen Manutius diſertè teſtetur ſe *conſtantiſſima* in quinque libris veteribus inueniſſe: in tribus tãtùm, quorum vnus eſſet Mediceus (qui certè ex eorum etiam numero eſt quorum autoritate nititur Victorius) *conſociatiſſima*. Ei autem quod idẽ Manutius obiicit, ſe neſcire quomodo conſtantiſsimam ſuam volũtatem erga Appiũ dicere poſsit Cicero, quæ magnis ſimultatibus fuerit interrupta: reſponderi poteſt fortaſſe, eo etiam maiorem videri amoris conſtantiam quòd ne illæ quidem quæ interuenerint ſimultates vnius ab altero voluntatem potuerint alienare. Sic conſtãs inter iuuenem & puellam dicetur fuiſſe amor, etiamſi rixæ aliquæ interuenerint, aut etiam inimicitiæ (vt ille apud comicum dicit, in amore hæc omnia vitia ineſſe, iniurias, ſuſpiciones, inimicitias: addens, inducias, bellum, pacem rurſus) vel quæcunque amorem interrumpere quidem poſſunt, ſed

non rumpere. Quò pertinet iſtud diſtichũ in Anthol. epigrammatum,

Ὕβρεις ἔρωτας ἔλυσε· μάτην ὅδε μῦθος ἀλᾶται.
Μᾶλλον ἐμὴν ἐρέθει σοῦ ἐρωμανίην.

Cui ſimile eſt hoc Propertij,

Non eſt certa fides quam non iniuria uerſat.

Quæ ſi tamen Victorio ſatisfacere non poſſunt, at illi ſatisfaciũt alij duo eiuſdem Ciceronis loci in alia ad eundem Appium epiſtola, in quorum vno conſtantem itidem ſuam erga illum voluntatem dicit, in altero autem conſtantiam. In ea enim (quæ eſt nona eiuſdem libri) ſcribit, *Itaque conſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis reſcripſi tibi ſubiratus. iis uerò literis lectis quas Philotimo liberto meo dediſti, cognoui intellexique, in prouincia multos fuiſſe qui nos quo animo inter nos ſumus eſſe nollent: ad urbem uerò ut acceſſeris, uel potius utprimum tuos uideris, cognoſſe te ex iis, qua in te abſentem fide, qua in omnibus officiis tuendis erga te obſeruantia & conſtantia fuiſſem.* Iam verò vt de iis loquens quos putat totũ illum locũ immutaſſe, ratos fortaſsis parũ Latinam vocem eſſe Conſociatas, ſcribit, Qui quantum decepti ſint, nihil attinet dicere: ita ego dixerim, Nihil attinebat id tacere. Viderit enim Victorius, vir alioqui doctiſsimus, ne ipſemet decipiatur, ſi vnicus iſte locus vocabulum illud Latinum eſſe

ipſi perſuadet: præſertim quum maior pars exemplarium diſſentiat. AN. An Latinum eſſe non putas? P. Nihil hac de re pronuntiare volo: tantùm oſtendo, dubitationem quæ de illo moueatur, minimè ratione carituram. AN. Qui autem illo verbo vſus eſt, in eóne eſt vſus loco vbi alioqui Conſtantiſsima quadraſſet? P. Aliud certè nihil declarare voluit. ANT. Eo minus venia dignus eſt. D. Tibíne, Paule, omnino diſplicet rari vocabuli vſus? P. Non omnino mihi diſplicere, ſatis iam oſtendi, quum dixi me voce rara cum aliquo etiam periculo vti non dubitaturum, vbi alia deeſt. D. Alioqui autem vti nolis? P. Imò certè alicubi etiã voce rara vti non recuſem, quanuis alia quæ ſit vſitatiſsima, non deſit: ſed ita vt ſuam illi ſedem deligam. Quinetiã vbi res eadem repetenda eſt, vocabulis vulgaribus priùs vſus, raris vti poſtea, aut etiã (ſi opus ſit) rara vulgaribus & vulgaria raris intermiſcere non dubitem. A. An igitur nõ verearis dicere *Opinioſiſſimus*, & *Opinator*, & *Opinabile*? & *Turpificatus*, vel *Materiatus*, vel *Munitare*, vel *Petiturire*, vel aliud quodpiam ex iis quæ Henricus Stephanus in libro ſuo De Latinitate falſò ſuſpecta ex Cicerone affert? P. Cur, obſecro, eorũ aliquod vſurpare verear, præſertim ſi omnium exempla-

rium conſenſu videam confirmari? Hoc enim vel maximè reprehendo in illo qui dixit *conſociatiſſimus*, quòd vſus ſit voce quam quum raram eſſe conſtet, an etiam Latina ſit, non itidem conſtat. Vide igitur ne ex iſtis etiam vocabulis aliquod eadem de cauſa minus admitti debeat. Certè quod ad tria prima nomina attinet, Opinioſiſsimus, Opinator, Opinabile, non dubito quin Cicero illis vſus fuerit, & quidem vti coactus ad exprimendas voces Græcas eorum de quibus agit philoſophorum. Illa verò duo participia, Turpificatus & Materiatus, in libris De officiis legi recordor, & Turpificatum corpus, Materiatam malè domum dici. Sed pro hoc participio alia etiam eſt lectio, ſi bene memini. A. Non lapſus es memoria. nam pro *malè materiatæ*, legitur etiam *malæ materiæ*: ſed tamen ita vt participio illi vetera exemplaria ſuffragentur. P. Munitare autem in quo Ciceronis loco extet, nõ recordor. ANT. Extat in oratione pro Roſcio Amerino, *Quapropter deſinant aliquando dicere, malè aliquem loquutum eſſe, ſiquis verè ac liberè loquutus ſit: deſinant ſuam cauſam cum Chryſogono communicare: deſinant, ſi ille læſus ſit, de ſe aliquid detractum arbitrari: videant ne turpe miſerúmque ſit, eos qui equeſtrem ſplendorem pati non potuerunt, ſerui nequiſſimi domi-*

nationem ferre poſſe. Quæ quidem dominatio, iudices, in aliis rebus antea uerſabatur: nunc uerò quam uiam munitet, quò iter affectet uidetis: ad fidem, ad iuſiurandum, ad iudicia ueſtra, ad id quod ſolum propè in ciuitate ſincerum ſanctúmque reſtat. Libuit autem locum altius repetitum tibi recitare, quò facilius de hac lectione quæ habet *munitet*, iudicare poſſes. PAV. Affertúrne & alia? ANT. Minimè, quod ſciam. PAV. Non igitur ferendum de illa iudicium eſt (quod etiam non magni ponderis eſſe deberet) ſed quæ ſit eius ſignificatio quærendum eſt. ANT. Monitum te volo priùs, eſſe qui potius legendum ſuſpicentur *quò uiam munitet*. P. Quid verbo Munitet declarari putas? an ſicut frequẽtatiui verbi formam habet, ita etiam aliquam frequentationis ſignificationem ineſſe illi putas? A. Nequaquam. D. Adrianus Turnebus in ſuis Aduerſariis huius verbi mentionem facit. P. Locum illum apud eũ quære: nos interim Ciceronianũ expendemus. A. Nónne *Quò uiam munitet*, magis placet? P. Si nullius veteris exemplaris cõſenſus accedat, retinendam alteram lectionem cenſeo. D. Audite quæ ab illo de hoc verbo ſcribuntur. Munitare pro Munire cupere, ſine frequentationis ſignificatione, apud Ciceronem non indiligens nec oſci-

tans

tans lector obſeruabit in oratione pro Roſcio, *Nunc quam viam muniet & quod iter affectet videtis*. P. Vide ne fallaris. legis enim, *quod iter affectet*, non autem, *quo iter affectet*. D. Ita certè lego vt à typographo impreſſum eſt. PAV. An verò & à Turnebo ita ſcriptum ſit, dubium eſſe poteſt. AN. Non dubito quin illa quoq; lectio in nonnullis editionibus reperiatur. P. Rationi certè conſentaneũ videtur vt vtrobique *quò*, vel, vt *quã* in priore mẽbro, ita *quod* in poſteriore ſcribatur: ſed tamen ſiue *quã* ſiue *quò* illic legamus, eadem eſſe videtur verbi Munitare ſignificatio. D. Nónne eam eſſe exiſtimas quam tradit Turnebus? P. Non equidem. nam Munitet declarare potius exiſtimo, Munire incipiat, aut Munire paret, quàm Munire cupiat. AN. Aptior mihi videtur, Paule, illa quæ à te tribuitur huic verbo ſignificatio. multo enim minus eſt, Munire cupiat, quàm Munire incipiat, vel Munire paret. nam aliquis viam munire cupiet fortaſſe, qui tamen ad ipſum opus nunquam accedet. D. Non temere à tanto viro diſcedendum cenſeo. A. AEgrè fert Dionyſius ſe tempus quod quærendo illi Turnebi loco impendit, perdidiſſe. D. Hoc ego ſanè minimè diſsimulabo, me non tempus ſolùm, ſed oleum etiam atque operam mihi

videri perdidiſſe, quòd illam expoſitionem diu euoluto libro tandem inuentam non ſequamini. AN. Si nos ſequendam eſſe eam docueris, ſequemur. nam quod de me, idem & de Paulo ſpõdeo. P. Hoc ſpõdere potes, nec timere ne illud experiaris, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. D. Non ij eſtis certè qui à me doceri poſsitis: ſed mementote prouerbii, Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν. ita enim malo dicere quàm μωρὸς ἀνήρ. Quinetiam eo ſum ad defendendam Turnebi ſententiam audacior, (ſi hæc audacia eſt) quòd mihi in mentem venire putem quæ illum ad exponendum ita verbum illud impulerint. AN. Quid attinebat hæc præloqui? DIO. At te quid attinet huic meæ præfatiunculæ obloqui? PAV. Neque tibi præloqui illa neceſſe erat, neq; Antonium tibi illa præloquuto obloqui decebat. D. Interpellando ſimul etiam cogitationem meam interturbauit Antonius. PAV. Vide Antoni vt tuis interpellationibus Dionyſio moleſtus eſſe deſinas. D. Iam redeo in memoriam eorũ quæ dicere de explicatione illa volebam. PAV. Quæ, obſecro, ea ſunt? D. Turnebum, quum ita verbum illud exponeret, reſpexiſſe puto ad verba ſimilia Dormito & Vendito, quibus itidem cupiditatis ſignificatio ineſt: quum Dormito, ſit Dormire cupio:

Vendito, Vendere cupio. PAV. Quid ſi ne horum quidem verborum eſſe hanc ſignificationem tibi fatear? AN. Ego certè tibi eam eſſe fatenti aſſenſus non fuiſſem. D. Te nolo, Antoni, expectare dum rationem afferat Paulus cur à me diſſentiat: vt quum eam attulerit, te dicas illi ſubſcribere: ſed iam nunc eam ex ore tuo audire volo. alioqui dicam tibi impingam grandem. AN. Non hoc certè nomine tibi à me dica impingetur, quũ mihi parata ſit reſponſio. Aures igitur arrige: Si Dormito non aliter exponi poſſet quàm Dormire cupio, aptè hoc verbum in exemplum à te allatum eſſe dixiſſem: ſed quum non minus aptè poſsit explicari Dormire incipio, vt ſit verbum inchoatiuũ, non deſideratiuũ (aut quæcunque ſunt nomina quibus grãmatici & hoc & illud verborum genus appellarunt) non minus pro me quàm pro te facere illud dico. D. At de Vendito, quid reſpondes? A. Pauli ego partes nolo ſuſcipere: de vno reſpondi, eius eſt de altero reſpondere: cur enim totum mihi onus incumbat? P. Aſtutè egiſti, Antoni, qui ex duobus exẽplis illud elegeris cui quòd opponi poſſet in prõptu erat. D. Rem mihi gratã facis Paule, quòd ingenuè fatearis nihil alteri meo exemplo poſſe opponi. P. Fateor equidem, nõ mihi

videri verbum Vendito poſſe exponi Vendere cupio. nã in alia ſignificatione quàm pro Védere incipio, me legere nõ memini. cuius etiam exemplũ inſigne extat in principio cuiuſdam Plinianæ epiſtolæ, *Tranquillus contubernalis meus uult emere agellum quem uenditare amicus tuus dicitur.* AN. Quid ſi Véditare accipi etiam pro Exponere venalem dicamus? P. At nihil hoc nobis ad confirmandam noſtram verbi Munito explicationẽ proderit. ideóq; potius ita cum Dionyſio trãſigamus, vt ex duobus quæ attulit exemplis vnum facere pro illo fateamur, alterum nihilo magis ab eius quàm à noſtris partibus ſtare dicamus. D. In tuam non in Dionyſij gratiam huic conditioni acquieſcam. P. Sed illud verbum Venditare alium quendam eiuſdem Turnebi locum mihi in memoriam reuocauit, de his Ciceronianis verbis, *Vendere auctionẽ*: in quo etiã ab illo diſſentio. A. Quid ille de his verbis dicit? P. Se exiſtimare ait, *Vendere auctionem* ea dicendi forma dictum eſſe quã à Cæſare *Vendere ſectionem*: vt nihil aliud ſit Auctionem vendere quàm Auctionari & Res in auctione vendere. ANT. Tu verò quomodo verba illa exponis? Imò ego nõ *uenderet auctionem* ſed *in auctione uenderet* apud Ciceronem ſcribendum cenſeo in oratione pro

Quintio, vnde illud genus loquēdi affertur. D I. Sed cur non vt Vendere ſectionem, ita etiam Vendere auctionē dicetur? P. Addo etiã dici AEſtimationes vēdere, & quidem ab ipſomet Cicerone. quod exemplũ addidiſſet profectò ipſe Turnebus, ſi eius recordatus fuiſſet. D. Cur ergo non itidem Auctionem vendere admittis? P. Quoniam vt AEſtimationem vel AEſtimationes pro bonis æſtimatis, & ſectionem pro bonis ex ſectione prouenientibus, vt ita loquar, ſic Auctionem pro bonis auctioni addictis, ſeu quæ in auctione exponuntur venalia, non reperio. D. Non temere tamen (vt iã antea dixi) à tanti viri ſententia diſcedendũ eſt. P A V. Non ego certè hac de re ſum monēdus, qui Adriani Turnebi & admirator ſum ſupra quēuis aliũ, & laudator. Atq; vtinam non tanta breuitate in ſuis Aduerſariorum libris eſſet vſus. Paulo enim luculentior & plenior quorundam locorum explanatio & maiorem illi operi gratiam laudémque conciliaſſet, & lectori multo magis ſatisfeciſſet. D. Si fuiſſet oſtentator, vt ille qui eum per contemptum Ciſalpinum neſcio quem appellat, & æquè verboſus atque is variarum lectionum ſcriptor de cuius loquacitate memini te aliquando apud me queſtum eſſe, ita ſuos Aduerſariorum

libros dilatare potuiſſet vt quatuor mulos onerarent. P. Scio de quo variarum lectionum ſcriptore loquaris: ſed ad illum de raris vocabulis ſermonem reuertendum cenſeo. Vltimum eorum puto fuiſſe *Petiturire.* vnde verò Antoni illud Petiturire à te petitum eſt? ANT. Vſus eſt hoc verbo Cicero in fine epiſtolæ II, libri I, ad Atticum, *Video hominem ualde petiturire: nauabo operam.* Sed non diſsimulabo, aliam lectionem in prioribus editionibus extare: hanc videlicet, *Videro homunem.ualde petitur. re nauabo operam.* vel coniunctè, *renauabo.* P. Sed aſſertúrne ex aliquo veteri libro illud *Petiturire?* A. Maximé. P. Simile igitur erit verbis *Sullaturire* & *Proſcripturire*, quæ leguntur in quadam ad Atticum epiſtola: ſimile etiã verbo *Senaturire*, quod certè ex veteris ſcripturæ veſtigiis rectè deprehenſum eſſe videtur, in quadam Cœlij epiſtola, ea nimirum quæ quarta eſt libri octaui. Quum enim ſuperiores editiones habeant hanc lectionem, *totus ut nunc eſt hic ſcaturit*, ſitque tandẽ in quodam veteri libro inuentum *ſentirit*, quo nihil ſignificari poteſt, rectè videtur ex eo factum *ſenaturit*. quod tamen margini duntaxat adſcribi maluiſſem. AN. Tu more tuo magnam quandam in mutandis veterum librorum lectionibus religionẽ po-

ſtulas. PAV. Quídni verò hac in re ſim religioſus? Sed quod ad vocabula rara attinet, non tanta mihi religio eſt illis vti quantam exiſtimas. Imò verò (quod tibi mirum videbitur) nuper Ciceroniano cuidam verbũ *Conſanuit* refugienti, vt illo vteretur, tãdem perſuaſi. A. Eſtne illo vſus Cicero? PAV. Si non *Conſanuit*, ſaltem *Conſanuiſſe* apud eum extat: in ea libri quarti epiſtola qua conſolatoriæ Sulpitij reſpondet, *Nunc autem hoc tam graui uulnere, etiam illa quæ conſanuiſſe uidebantur, recrudeſcunt.* A. Nónne & alia ibi eſt lectio? P. Eſt certè, *conſenuiſſe*. AN. Videris igitur nolle eam quam aliis imponis legem ſeruare. P. Cur id ais? aut quæ illa eſt lex quã me aliis velle imponere dicis? A. Nónne dixiſti te non dubitaturum vti illis raris vocibus quas recẽſui, ſi modò exemplarium omnium conſenſu eas videres comprobari? PAV. Dixi me nõ dubitaturum illis vti, præſertim ſi id viderẽ: non autẽ ſi modò id viderẽ. Me enim tunc magis audacter illis vſurũ non diſsimulaui: ſed abſq; illo conſenſu me vſurum illis non negaui. Neque tamen ſine exceptione hoc dicendum fuerit, quum ex raris vocabulis nonnulla ſint quæ multis de cauſis adeo ſuſpecta eſſe poſſunt, vt non ſolùm omnium quę reperiuntur exemplarium, ſed multo etiam

plurium conſenſum poſtulent. cuiuſmodi ſunt illa de quibus initio dictum à nobis fuit, *Facetoſus*, *Capitulum*, *Complices*. D. Nimium ſeuerè in Paulum noſtrum inquiris, Antoni. A. Ciceronianus ille, Paule, nónne & ipſe aliam lectionem ibi eſſe reſpondebat? P. Maximé. ANT. Quomodo *conſanuiſſe* magis loco illi conuenire quàm *conſenuiſſe*, perſuadere potuiſti? PAV. Primùm quidem oſtendi eam eſſe formam verbi Cõſanuiſſe, quæ minimè à Latinitate, etiam Ciceroniana, abhorrere dici poſſet: deinde & Cornelium Celſum eo non ſemel vſum eſſe docui: quinetiã apud Vlpianũ pro *conſanauerit* ſcribẽdũ itidem videri *cõſanuerit*, dixi, hoc in loco, *Si homini digitus ſit abſciſſus, membriue quid laceratum, quanuis conſanauerit, ſi tamen ob eam rem eo munus uti poſſit, non uideri ſanum eſſe*. Addidi, non meminiſſe me legere de vulneribus dictum alterum illud verbũ: ſi tamen & de illis vſurparetur, reperiri poſſe quæ conſenuerint & tamen ſanata non ſint. Denique Naſonẽ non vt conſeneſcant ſua vulnera, quæ cruda ſint, ſed vt tandem cicatricem ducant, optare:

Tempore ducetur longo fortaſſe cicatrix:
Horrent admotas uulnera cruda manus.

Perinde autem eſſe ac ſi dixiſſet, Conſaneſcent tandem aliquando, fortaſſe oſtẽdunt

quæ præcedunt, *Vt mea ſint dictis pectora ſana tuis* hæc item in extrema epiſtola,

Nec tamen inficior, ſi poſſent noſtra coire
Vulnera, præceptis poſſe coire tuis.
Sed uereor ne me fruſtrà ſanare labores.

Adiiciam verò & hoc iis quæ illi dixi, poſſe illud *recrudeſcunt*, hoc Naſonis pentametro exponi, *Vulnera non aliter quàm modò facta dolent.* Apud eundem enim hæc quoque legimus,

Quǽque mora ſpatióque ſuo coitura putaui
Vulnera, non aliter quàm modò facta dolent.

A. Non miror certè ſi tandem Ciceroniano illi perſuaſeris vt verbo illo vteretur. PAV. Timidè tamen vſus eſt. AN. At ſi occaſio aliqua ſe obtuliſſet vſurpandi vocem *Leuidenſe*, potius vadimonium (quod aiunt) deſeruiſſet, quàm illam occaſionem prætermiſiſſet. DI. Miraris Ciceronianis tam raram támque elegantem ſui Ciceronis vocem placere? AN. Miror profectò illam eo tantùm nomine placere quòd rara vel potius rariſsima ſit. D. Nónne ſcis hoc natura inſitum eſſe hominibus, vt quæ rara ſunt, pluris faciant? ANT. Sed in iis quæ ad ſermonem pertinent, non debere nobis eodem quo aliis in rebus modo raritatē pretioſam eſſe, dictum fuit antea. P. Omittis Antoni, quod tūc adiectum fuit, raritatem

vocis alicuius tum pręſerti m minus placere nobis debere quum vel propter diſſentientia quępiam exemplaria vel aliũde ſuſpecta nobis eſſe poteſt. DI. Quid, obſecro, vocabulum illud tibi ſuſpectum poteſt reddere? PAV. Vel illud certè, quòd viris ſagaciſsimis ſuſpectũ fuiſſe videam: & in his, Octauio Pantagatho, qui *leui dente* ſcribendum putabat. Sed & illud, quòd eius coniectura exemplari vno adiuuatur ex iis quibus vſus eſt Lambinus. In vno enim *leui denſe* ſcriptum eſſe ait diſiunctim. Quàm autem procliuis ex illa litera in hanc fuerit lapſus, quid attinet dicere? ANT. Antequam plura de hac voce diſſeramus, ipſum Ciceronis locum & legendum & expendendum cenſeo. PAV. Rectè mones. AN. Is extat epiſtola libri noni duodecima, *Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod nõ putaram. Itaque eam tibi miſi: quam uelim ſic legas ut cauſam tenuẽ & inopem, nec ſcriptione magnopere dignam. Sed ego hoſpiti ueteri & amico munuſculũ mittere uolui leuidenſe, craſſo filo: cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera.* Sed quædam exemplaria *leuidenſæ* habent, cum æ. Quinetiam alia lectio affertur, *lenidenſe.* PAV. Hæc quoque pro me, id eſt, pro mea ſuſpicione, faciunt. DI. Sed *leui dente* quid ſignificaret? ANT. *Leui pectine*: ſicut addi-

tur *craſſo filo*. Eſſe autem pectinem textorũ quoque,& illi etiã tribui dentes,non ignoras. Interim verò lectionem illam *leuidenſe* ſubleuari viciſsim quodam Iſidori loco nõ ſum neſcius: ſed hoc ſaltem fatendum erit, non deeſſe quæ viciſsim illã reddere ſuſpectam poſsint. DI. Ergóne tibi illius vocabuli vſu interdicis? P. Non equidem: ſed eo me non lubenter nec niſi timidè vſurum fateor. D. A Ciceronianis requiris (quantũ video)vt valde ſint circumſpecti, & illorũ quoq; vocabulorum quæ apud Ciceronem extant(non in typographicis tantùm editionibus, ſed in quibuſdam etiam antiquis libris) delectum magnum habeant. PAV. Hoc certè requirẽdum ab illis eſſet:ſed plerique contrà, neſcio quo nouitatis ſtudio (valde enim rara aliquid καινοπρεπείας orationi vidẽtur allatura)ne ab iis quidem abſtinent quę, tanquã Apuleiana potius quàm Ciceroniana,reiicerent, ſi vnico ipſius Ciceronis loco creduli eſſe nollent. Reperiuntur enim apud eos vocabula, quæ multo etiam magis quàm vllũ ex ſuperioribus quis miretur. Nam, vt de eo nunc dicam quod mihi commodùm memoria ſuggeſsit, mecum omnes multo etiam magis miraturos ſimúlque irriſuros puto apud quẽdam qui in Ciceronianorum albo non poſtremum

vult locum tenere, cuiuſdã participij vſum, quod quum ab ipſo etiam Manutio Ciceronianum habeatur, ego contrà Pſeudociceronianum eſſe ſuſpicor. ANT. Quódnã illud participium eſt? P. *Ignotus*. AN. Imò certè eſt cur miremur te participij huius vſum mirari. PAV. Deſinet vterque veſtrûm hoc mirari quum intellexerit de quo huius participij vſu loquar. Sed vos ad ipſum Ciceronis locúm vnde ſumptus ille fuit, dedu cendos cenſeo. Vbi poſuiſti Dionyſi illud epiſtolarum Ciceronis exemplar, quod mo dò in manibus habebas? DIO. Super ſedili quod abaco proximum eſt. AN. En tibi illud. PAV. Quærenda eſt duodecima libri quinti epiſtola. A. En tibi illam. P. *Neque autem ego ſum ita demens.* non procul hinc eſt locus quo nobis inuento eſt opus. *Neque enim Alexander ille gratiæ cauſa ab Apelle potiſſimũ pingi & à Lyſippo fingi uolebat, ſed quòd illorum artem cùm ipſis tum etiam ſibi gloriæ fore putabat. Atque illi artifices corporis ſimulacra ignotis nota faciebant.* Adſcribit autem margini Manutius, actiuè poſitũ eſſe *ignotis* pro iis qui non nouerãt, antiqua figura: de quia vult ſua ſcholia conſuli. AN. Ea igitur iam nunc adeamus, & quidem poſtremam eorũ editionẽ, quæ multo eſt auctior. Ignotis (inquit) poſuit non pro iis qui ignorarẽtur,

ſed qui ignorarēt illa ſimulacra. vt id quod patitur, accipiatur pro eo quod agit. Antiqué.nam & Plautus in Pſeudolo, *Noui: notis prædicas*.Pro, Iis qui nouerunt. Deinde hac ſignificatione Notos à Liuio quoq; dici oſtēdit, atque adeo ab ipſo etiam Cicerone: à Curtio eandem illam vocē Ignotos. D. Quid tu Paule tot teſtimoniis potes opponere? P. Nihil moror aliorum ſcriptorum locos. quàm multa enim apud eos legimus quæ Ciceronem nunquam dicturum fuiſſe conſtat? D. Atqui Notos actiua itidem ſignificatione in alio ipſius etiam Ciceronis loco inueniri tradit. P. Non puto locū eius afferri poſſe qui ſecus exponi, aut in ſuſpicionē venire nō queat. D. De hoc dūtaxat in præſentia nūc agamus: an tu cū vel aliter exponis, vel ſuſpectū habes? P. Aliā expoſitionē afferri poſſe nō puto, manēte hac lectione: ſed locū ſuſpectum me habere profiteor. D. Cuiuſvis eſt hoc dicere, ſe locum hunc vel illum ſuſpectum habere: ſed is demum ſe hoc non temere dicere oſtēdit, qui non magna cum mutatione emēdari poſſe docet. P. Hoc ego tibi nunquam conceſſerim, non alia conditione licere cuiquam de loco ſibi ſuſpecto conqueri: ſed tamen accipio cōditionem, ad hunc quidē quod attinet. A. Magnum certè eſt, Dionyſi, quod

ſe facturum Paulus pollicetur. P. Et polliceor, & faciam. An rem magnam præſtare videtur qui locum quempiam ex coniectura emendat? A. Ideo rem magnam te præſtitiſſe dicam, ſi coniectura tua εὔστοχος fuerit, & parua fiat mutatio, quòd nec Manutius nec Lambinus potuerint itidem τοῦ σκοποῦ στοχάζεσθαι. P. Hoc ſaltem ſpondeo, mutationem non magnam fore, quum voculã *ex* duntaxat velim interiicere. A. Aſſequor iam quid velis, & vbi illam particulam inſerendam ſuſpiceris. Nimirum ita legendum arbitraris, *Atque illi artifices corporis ſimulacra ex ignotis nota faciebant.* DIO. Non dubito quin Victorius, Manutius, Lambinus, & cæteri omnes qui in emendandis editionibus ſtudium atque operam poſuerunt, coniecturam tuam obuiis vlnis amplexuri fuiſſent. P. Non igitur mihi tandem fateberis, Dionyſi, inconſideratè & ineptè illum Ciceronianum feciſſe qui ſe magis etiã Ciceronianum fore putauit ſi locum hũc imitaretur? D. Fatebor. AN. Quàm miror te hanc confeſsionem ex Dionyſij ore extorquere potuiſſe. DI. Cur miraris? A. Quòd ea quibuſdam quæ antea dixiſti, repugnare videatur. DI. Non equidem ita hoc conceſsi, vt ideo velim quæcunque rara ſint apud Ciceronem, ὑπὸ μίαν Μύκονον ponere, &

Ciceronianis vitanda dicere. P. Hoc à te petere, impudentis eſſet. Quis enim illis nō permittat (exempli gratia) *Tribuere* dicere pro *Diſtribuere*? A. Hoc ego quibuſdam illorum ita placere video, vt nunquam compoſito Diſtribuere, ſed ſemper ſimplici Tribuere vtantur. P. At certè in hoc etiā verbo τὸ ἄγαν vitare debent. alioqui enim eorū ſermo meritò affectatus dicetur. A. Multos eorum eſſe ſcio quibus iure optimo affectationis frigidæ & puerilis crimen obiicia tur. Sed illud Tribuere, pro Diſtribuere, éſtne valde frequens apud Ciceronem? Nam vnius tantùm loci recordor in quo ita vſus fuerit, lib. De finibus ſecundo, *Zenonis eſt, inquam, hoc Stoici, omnem uim loquendi, ut iam antè Ariſtotelès, in duas tributam eſſe partes dicere.* P. Alîus certè loci nec ipſe memini: non dubito tamen quin & alibi ita poſitum verbum iſtud legatur. A. Viderint quomodo loco illi fidant, quum ex quibuſdā exemplaribus afferatur *diſtributam*, non *tributam*. PAV. Nimium es ſeuerus, Antoni. non credis illud compoſitum *diſtributam* expoſitionem eſſe ſimplicis quæ ex margine in textū irrepſerit? AN. Imò multo etiam maior eſt illorum hominum ſeueritas: tanta certè vt illis audientibus nequaquam duobus vocabulis quæ modò protuliſti, vtendum ſit.

PAV. Quæ ſunt illa? AN. *Margo*,& *Textus*. P. Marginem quidem quid nos vetet ad eã rem ſignificandam dicere, haud ſatis ſcio: at Textum perinuitus dico. atque id colligere inde potuiſtis quòd antea nunquam ſine præfatiuncula vſus eo fuerim. DI. Quibus igitur vocibus, Antoni, harum vice vtuntur? AN. Pro Margine quidam oram libri dicere conſueuerunt: pro Textu autem aut Contextu obſeruaui apud Manutium *Continuationem uerborum*. Sed is quanuis Textum vel Contextum non dicat, non tamẽ & Marginem dicere veretur. Spero me, ſi eius ſcholia proferantur, ea quidem quæ poſtremò ſunt edita multo auctiora (quæ acceſsio Appendice ab Henrico Stephano nuper excuſa continetur) facilè locum inuenturum vbi continuationẽ verborum id appellat. PAV. Ego verò illa tibi facilè exhibebo. DI. Quid tibi de illa periphraſi Manutiana videtur, Paule? PAV. Nihil de illa pronũtiabo, donec ipſum locum viderim. A. Iam inueni. *Tertius eſt apud me liber, cuius in margine ſcriptum uideo, Q. Leptam: quum à continuatione uerborum Ciceronis abſit.* P. Manifeſtum eſt eum aliud nihil ſignificare voluiſſe quàm quod vulgus Textum ſiue Contextum appellat. DI. Quomodo, inquam, tibi placet hæc periphraſis? PAV. Nõ multum

tum certè.ac mihi non defuiſſent hoc quidem loco alij varij eam rem ſignificandi modi.Dixiſſem enim, Quum inter Ciceronis verba nõ ſit. aut,Vnà cum cæteris Ciceronis verbis. Vel, Quum in ipſo Ciceronis loco non extet.Vel, Quũ abſit ab ipſa verborum Ciceronis ſerie.Sed quis tandem finis erit ſi tã ſeuero examine in ſingula quibus interdum vti cogimur verba inquiratur? Tandem profectò nec voce *Lectio* vti nobis licebit eo quo vtimur modo, quum dicimus,Alia eſt lectio,vel diuerſa: Mendoſa lectio,vel emendata. Ac vereor etiam vt *Scriptura* dici hac in ſignificatione poſsit. A. Nimium ſanè fuerint delicatæ aures quæ talia vocabula ferre non poterunt, quum præſertim alia deſint. PAV. Non equidem tulerint quod à Dionyſio non multo antè dictũ fuit, *De hoc duntaxat in præſentia nũc agamus*. D. Quid hîc illis diſplicere poſsit? P. Illud *In præſentia*.volunt enim dici tantùm *In præſenti*. AN. Ratione aliqua niti hac in re videntur. nam *In præſenti* reſpondet omnino ei quod à Græcis dicitur ἐν τῷ παρόντι,cum eadem ellipſi,hîc,nominis χρόνῳ, illic, nominis Tempore. D. Quid? tu quoque, Antoni, vis me reprehendere, perinde acſi ex eorum ſis numero quibus ſunt delicatæ aures? ANT. Non delicatæ ſed te-

retes mihi ſunt aures. D. Teretibus ſcilicet opus eſt auribus ad diiudicãdum hócne an illud dici debeat. P. Imò vtrunque dici poteſt, ſi exemplaribus fides habetur. Nam In præſenti quidem legitur in Ciceronis epiſtola 10, libri ſecundi, *Hæc ad te in præſenti ſcripſi: ut ſperes te aſſequi id quod optaſti*: ſed In præſentia ſcriptum eſt in ea qua Seruius Sulpitius ipſum Ciceronem conſolatur: atque hoc Manutius non indignum iudicauit quod à ſe annotaretur. Adſcripſit enim margini, à Cicerone quoque dictum eſſe itidem In pręſentia. Quinetiam oratione VII in Verrem, legimus, *In præſentia, inquit Cleomenes, quoniam ita neceſſe eſt: ſed poſt aliquid uidebimus, ne iſte nobis obſtare poſſit.* Vt tamen liberè dicam quod ſentio, ſuſpecti ſunt mihi loci omnes vbi In præſentia legitur. D. Nunquam tamen dediſcere potero ita loqui. PAV. Si fortè in aliquos incidas qui te reprehendant, exemplarium autoritate tueri cauſam tuam poteris. D. Scio & quoſdam Ciceronianos ita loqui. PAV. Scio illos non pauca quæ multo minus excuſari queũt, dicere: vt tamẽ eos aliorũ cenſuræ potius quàm meæ ſubiiciã, mẽtionem nunc vnius dũtaxat vocis faciam, qua quũ Paulus Manutius tanquam non Latina ſolùm ſed Ciceroniana etiam vtatur, Lambi-

nus contrà ne Latinam quidem eſſe cenſet. ANT. Quænam ea eſt? P. *Inanimatus*. Hac enim Manutius quoque vtitur cùm alibi, tū ſuis in epiſtolas ſcholiis. Gratioſum (inquit) de inanimatis rebus non dicitur: ſed gratioſi homines appellantur. At Lambinus in hunc Ciceronis locum qui eſt libro De officiis ſecundo, *Quæ ergo ad uitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanimata, ut aurum, argentum, &c. partim animata.* In hunc, inquam, locum ille annotat, legēdum eſſe *inanima*, non *inanimata*, atque hoc primùm libros veteres, deinde Nonium Marcellum, qui hunc locum profert, poſtremò vſum Latini ſermonis peruincere. AN. Inuenitur tamen & alibi apud Ciceronē vox ea quam ex illo reiicit loco Lambinus. PAV. Scio & in Topicis eam legi, ſed inde quoque idem illam expellit. AN. Qua moueri Lambinum ratione arbitraris? P. Eam ipſe declarat, quū inter alia dicit vſum Latini ſermonis peruincere, dicendùm eſſe Inanima, non Inanimata. AN. Sed non declarat quónam modo id peruincat Latini ſermonis vſus. PAV. Eum putò, quum hoc diceret, ad originem ſimplicis Animata reſpexiſſe, quam habet à verbo: ita vt ſit velut nomē participiale, ſiue participiū nominis vice fungens: quum Inanimata itidem à

verbo eſſe non poſsit. fortaſſe autem & ad alia ex nomine Animus deducta reſpexerit, quibus ſimilem formã habet Inanimus. A. Mirum eſt Manutium hoc non animaduertiſſe, quum à Lambino fuerit animaduerſum, qui minus curioſè talia ſcrutatus fuiſſe videtur. PAV. Magnam iniuriam Lambini manibus feceris ſi eum Manutio in iis quæ ad linguæ Latinæ cognitionem pertinent ceſsiſſe dixeris. Sed in quibuſdam tamen aliorum omnium error illum quoque in errorem impulit. AN. Cedo exemplum eius quod dicis. P. Exemplo fuerit nomen Dictio, quo quum videret non Manutium tãtùm ſed cæteros omnes & Italos & Gallos vti pro voce, ſeu vocabulo, ipſe quoque ita vſus eſt: quum tamen aliud ſignificet apud eos ſcriptores qui nobis idonei Latinitatis autores eſſe poſſunt. A. Quid ſi verò apud horum quoque quempiam aliquod illius ſignificationis exemplum deliteſcat? P. Si hactenus delituerit, at nunc ſaltẽ in lucem venire cupio, vt ſententiam mutem, & poſthac ipſe quoque ita vti minimè dubitem. AN. Apud Fabiũ Quintilianũ illum vocis illius vſum extare puto, & à me poſſe inueniri: ſed eum fortaſſe inter idoneos Latinitatis autores non cenſes numerandum. P. Illos quidẽ qui Ciceronianos ſe profitẽtur,

ridiculos fore puto ſi illius duntaxat autoritate nitantur: at ego tamen illam minimè contemnendam vel parui faciendam exiſtimo. Itaque illius ſcripta iamiam afferam, vt locum illum apud eum quæras. D. Ego certè nũc primùm in dubium vocari video an vocabulum hoc ſignificationem illam habeat. P. En tibi Quintiliani libros Antoni. AN. Spero me non multum temporis in quærẽdo loco poſiturum. En tibi illũ, libri noni capite primo, *Eſt igitur tropus, ſermo à naturali & principali ſignificatione trãſlatus ad aliam, ornandæ orationis gratia: uel (ut plerique grammatici finiunt)* Dictio *ab eo loco in quo propria eſt translata in eum in quo propria non eſt.* P. Quid? videris tibi locum oſtendiſſe in quo Dictionem pro voce ſeu vocabulo accipere ſit neceſſe? A. Mihi certè videor. P. At mihi non videris. Cur enim potius in hac poſteriori definitione tropus erit vocabuli duntaxat cuiuſpiam tranſlatio quàm in priori? In illa enim non dixerat tropum eſſe vocabulum trãſlatum, vel vocem tranſlatam, ſed ſermonem tranſlatum. AN. An igitur dictionem in poſteriori definitione idem eſſe putas quod ſermonem in priori? P. Idem certè, aut tale quid. Nam memini eum in hoc ipſo capite λέξιν vtroque illorum exponere. D. Omnes ferè erra-

rent ſi Dictio non ſatis Latinè diceretur pro vocabulo. P. Vide quod dixi, Fabium, vbi duas ſtatuit orationis partes, διανοίας & λέξεως, exponere quidem διάνοιαν, Mentem, Senſum, Sententias: λέξιν verò, Verba, Dictionem, Elocutionem, Sermonem. ANT. Scio frequentem eſſe hunc vocis Dictio vſum pro elocutione apud illum, ſicut & apud Ciceronem, adeo vt exempla proferre ſuperuacaneum ſit: ſed alteram quoque ſignificationem videor mihi apud illum, Fabium, inquam, obſeruaſſe. DION. Sicubi plurali numero diceretur, Dictiones duæ, vel tres, tum verò dubitari non poſſet quin vocabula ſignificarentur. P. Pertinacius de hac re nolo contendere: hoc tantùm dico, me ne Fabium quidem eo nomine ita vſum crediturum eſſe, donec aliud ex eo magis idoneum exemplum afferatur: verùm etiamſi vnum atque alterum aut etiã plura quis afferat, hæc alium quidem, qui ita & ipſe vtatur, excuſare poſsint, at Ciceronem non item. AN. Ego magis circumſpectè loqui Ciceronianos iſtos arbitrabar. PAV. Quid quòd in loquendi generibus, ſicut & in nudis vocabulis, παρακεκινδυνευμένως Ciceroniani plerique loquuntur? AN. Quid hoc ſibi vult, eos παρακεκινδυνευμένως loqui? nõ enim vis illis eà loquendi genera tribuere quæ

Dionyſius Halicarnaſſeus παρακεκινδυνευμένα appellat. PAV. Non equidem. ac certè fateor me ambiguo & nimis honorifico vſum eſſe vocabulo. Significare enim volui illos quibuſdam etiam loquendi generibus non ſine periculo vti, dum in illis fidem exẽplarium, vt ita dicam, periclitantur. Recordor enim me apud quendam illorum legiſſe non ſemel, Accommodare amico de re quapiam. A. Reprehenſionis certè periculo ſe committere videtur quiſquis ita loquitur. P. Atqui Ciceronem ſe imitari dicet, qui libri XIII, epiſtola II, ſcripſit, *Peto igitur à te maiorem in modũ, quod ſine tua moleſtia fiat, ut ei de habitatione accommodes*. Nã *propter opera inſtituta multa multorum ſubitum eſt ei remigrare calꝫ Quint*. vel (vt alii ſcribendum cenſent) *demigrare*. DIO. Hoc afferens exemplum, reprehenſori ſilentiũ imponet. PAV. Mihi certè (non reprehẽſori tamen, ſed monitori) ſilentium non imponet. DI. Quam tuæ reprehenſionis, aut monitionis (vt ipſe vis appellare) cauſã afferes? An hoc loquẽdi genus nimis inſolens eſſe dices? atqui nihil eorũ quæ à Cicerone dicta ſunt, inſolẽs videri debet. An addes, illum vno exemplo cõtentũ eſſe non debere? quàm multa ſunt de quibus vnico Ciceronis loco fidẽ habemus? PAV. Non attigiſti quod præcipuum

g. iiii.

eſt. DI. Quid illud eſt? AN. Suſpicor quid illud ſit. PAV. Eloquere, obſecro, Antoni, quid à me velle dici ſuſpiceris. AN. Aliam ibi lectionem inueniri. P. Rectè id ſuſpicatus es. aliud enim nihil volebam. D. Quę illa eſt lectio? P. In qua, cum leuiſsima mutatione, vocula *te* particulæ *ei* præfixa eſt: hoc modo, *ut te ei de habitatione accommodes.* DI. Non poſſum certè non tibi aſſentiri, ſimúlque gratiam habere. A. Quis verò eos qui ex illo ſunt grege, adeo temere talia loquendi genera vſurpare nõ miretur? PAV. Dũ quæ rara ſunt conſectantur, in hæc pericula ſe coniiciunt. D. Diſcam ego illorũ periculo (eorum enim hac in re periclitatur exiſtimatio) non ſine magna cautione φιλόκαινος in ſermone eſſe. P. Non placet huic ſermoni finem imponere, donec aliũ quendam Ciceronianum multo etiam magis ridendum vobis propinauerim. DI. Quid ſi riſus non ſufficiat? nónne & cachinnis vti mihi permittes? P. Tibi permittam. ANT. Mihi verò quid permittes? Quemadmodũ Dionyſio riſui cachinnos addendi poteſtatem feciſti, ita mihi cachinnis ſannam ſuperaddere per te licebit? P. Quidni? Audite igitur. Recordari vos arbitror dixiſſe me antea, Ciceronianũ quẽdã ſuperlatiuo *multiſſimus* eſſe vſũ, deprauata ſui exẽplaris aut

ſuorum exemplarium lectione deceptum: nunc quoque fœdiſsimum errorem quem Ciceronianus quidam (nomini enim volo parcere) in ſuperlatiuo commiſit, vobis commemorabo. Imò verò non tam in ſuperlatiuo quàm in ſuperlatiui loco alieno collocatione is lapſus eſt. Dicere enim auſus eſt *Maximè doctiſſimus*: ſiue ſuperlatiui loco alieno collocationem, ſiue ſuperlatiui abuſum breuius appellare hoc oporteat. D. Aliquid certè riſu digniſsimum narras: ſed tāta ſum admiratione perculſus, aut etiam obſtupefactus (nam & ego Ciceronianus dici cupio) vt illa riſus deſiderium mihi excutiat. AN. Me verò non minus hominis miſeratio quàm admiratio incéſsit, quiſquis ille ſit. PAV. Quid? ſi Cicero dixit *maximè liberaliſſima*, non licebit Ciceroniano Maximè doctiſsimus dicere? ANT. Reſpōde Dionyſi. DI. Imò tu Antoni reſponde. PAV. Itáne vos ſubitò interrogatiuncula mea mutos reddidit? D. Reſpondeto, inquam, Antoni: ſermonem tuum ſubſequar. ANT. Hoc mihi audire videor, *Nunc prior adito tu: ego in inſidiis hîc ero ſuccenturiatus*. P. Ei certè ad quem irridendum vos comparabatis, valde profuſum riſum hæc veſtra hæſitatio excitaret. ANT. Non reſpondebo tamen, donec mirabilem illum Cicero-

nis locum protuleris. PAV. Affer eius ad Atticum epiſtolas. A. Accipe. PAV. Eum eſſe puto libro XII. In eum incidi. Sed libet eum altius repetamus? ANT. Libet. PAV. *Quod putas oportere peruideri iam animi mei firmitatem, grauiúſque quoſdam ſcribis de me loqui, quàm aut te ſcribere aut* Brutum *: ſi qui me fractum eſſe animo & debilitatum putant, ſciant quid literarum & cuius generis conficiam: credo (ſi modò homines ſint) exiſtiment me, ſiue ita leuatus ſim ut animũ uacuũ ad res difficiles ſcribẽdas afferã, reprehẽdendũ non eſſe: ſiue hanc aberrationẽ à dolore delegerim quæ maximè liberaliſſima doctóq; homine digniſſima, laudari me etiã oportere.* A. Ex te primùm quæro an de hac lectione omnia inter ſe exẽplaria conſentiãt. P. An omnia, haud ſcire ex me potes: ſed de multorũ ſaltem conſenſu teſtis eſſe poſſum. A. Aliquid ſpatij ad expendendum locum mihi concede. PAV. Lubenter id faciam: quod tamen fortaſſe Ciceronianus ille non faceret. D. Ego interim in inſidiis hîc ero ſuccenturiatus, vt paulo antè de me dixit Antonius. AN. Leuiſsima mutatione incommodum illud vitari poſſe aio. P. Quænam ea eſt? A. Vt voculæ *quæ* ſedes mutetur: & quæ aduerbio *maximè* præpoſita erat, illi poſtponatur: ita legendo, *ſiue hanc aberrationẽ à dolore delegerim maximè, quæ libera-*

liſſima doctóque homine digniſſima, laudari me e-tiã oportere. Iam emendatio hæc Lãbino in mentem venerat: qui eam non tanquam ex cõiectura, ſed ex aliquo vetuſtiſſ.& fide digniſsimo exemplari profectam, in e... ne ſua ſequutus eſt. In ipſo enim textu Ciceronis, vel in ipſa cõtinuatione verborum Ciceronis (ſi me illis Manutij verbis vti mauultis) lectionem hanc pro altera illa repoſuit. A. Quanuis pro me faciat hæc ſiue audacia, ſiue confidentia, minimè tamen à me probatur. D. Hoc pro ſuo iure fecit Lambinus. P. Suo quidem more hoc fecit, ſed non pro ſuo iure. A. Quid ſi verò alicuius veteris exemplaris autoritate nitebatur? P. Imò verò ſe libris omnibus inuitis ita edendum curauiſſe, ipſe in ſua annotatione clamat. A. Audiamus, obſecro, quid Malaſpina in ſuis ſuſpicionibus (nam ita eum vocare dixiſti quæ in illas epiſtolas ſcripſit) de hoc loco ſuſpicetur. P. Quærẽdus eſt priús. A. Tu verò Dionyſi an perpetuò tacere decreuiſti? Priores in reſpondendo partes mihi voluiſti χαρίζεσθαι: ſed quantum video, vis iam poſteriores etiam ὑποσπᾶν... D. Tanto magis te deuinxero, quòd de meo iure decedens totum honorem tibi cedam. A. *Non honor eſt, ſed onus.* Sed affert Malamſpinam Paulus. D. Malum eſt omen in hoc

nomine:ſpinoſum aliquod Malæſpinæ cō-
mentum auguratur animus. P. Imò certè non infelix eſt in quibuſdam ſuis ſuſpicionibus, ſiue coniecturis. A. Audiamus illum. P. Primùm dicit, alios emēdare *maxima ἀσυνδέτως*. Intelligit autem, alios ita emendare vt legant, *ſiue hanc aberrationem à dolore delegerim, quæ maxima, liberaliſſima, doctóque homine digniſſima. ἀσυνδέτως*. Sed addit, ſe tamen animaduertiſſe, ſupremum comparationis gradum aliis etiam particulis quæ vim augendi habeant, quaſi cumulari. cuiuſmodi ſunt, Apprimè, Omnino, Sine controuerſia, Vnus omnium. Ciceronem autem De fin. lib. 3. dixiſſe, Apprimè rectiſsimé. Quæ constructionis ratio ſi recipitur, (inquit) cur hæc noſtra reiiciatur? quum vtriuſque particulæ vis eadem ſit? Addit verò & locū eiuſdem ſcriptoris in oratione pro Sextio, in quo *ita frequentiſſimus* dixit, *Cuius ſententiā ita frequentiſſimus ſenatus ſequutus eſt ut unus diſſentiret hoſtis*. Cogita iam non ſolùm quid illi Ciceroniano, verumetiam quid Malæſpinæ ſis reſponſurus. ANT. Ne Hercules quidem contra duos. Non recuſaueram tādem illi Ciceroniano ſoli ſolus reſpondere: nunc quum duos hoſtes aduerſus me tendere video, certamen eiuro. D. At tibi iniurato etiam fides habebitur. PAV. Audin'

Paule hunc noſtrum Dionyſium, hoſtibus etiam appropinquantibus, iocantem? DI. Iam trepidas, quantum ex tuis verbis colligo. Atqui

Nunc animis opus, Antoni, nũc pectore firmo.

ANT. Bilem mihi mouent tui ioci in re tam ſeria. PAV. Ohe deſine, Dionyſi: tu verò Antoni bono ſis animo: meum tibi auxiliũ non deerit. A. Addis mihi animum, Paule. Imò verò animum tibi indit, non addit. nã tibi modò nihil animi erat. P. Deſine obturbator. A. Tuum ſequens conſilium & exemplum, Paule, primùm videbo an locus ille ita legatur in tertio De finibus libro. P. Eum certè ita in omnibus exemplaribus legi perſuadere mihi non poſſum. A. Ac ne debes quidem hoc tibi perſuadere. iam enim in iſta vide legi, non *apprimè rectiſſimè*, ſed *apprimè rectè*. Cõſulam & aliã. P. In Badiana fortaſsis inuenietur altera illa lectio. A. Duarum ſaltẽ autoritate niti iam poſſum. nam hæc quoque habet *rectè*, non *rectiſſimè*, poſt aduerbium illud *apprimè*. Vnum iam Malæſpinæ propugnaculum expugnaſſe mihi videor: ad alterum venio. Apud Ciceronem in oratione pro Sextio legi dicit, *Cuius ſententiam ita frequentiſſimus ſenatus ſequutus eſt ut unus diſſẽtiret hoſtis*. At ego ad euertendum hoc eius præſidium, nõ

idem quod modò faciam, vt editiones illas de loco illo conſulam, & videam ánnon aliter ille quoque in iis ſit ſcriptus: ſed reſpõdebo, etiamſi de ea quam affert lectione ſummus eſſet omnium quæ vſquam extant exemplarium cónſenſus, locum illum nihil ad defenſionẽ alterius prodeſſe. Cur enim potius particula *ita* cum *frequẽtiſſimus*, quàm cum *ſequutus*, iungetur? P. Tu ſanè me præueniſti. hoc enim ipſum dicturus eram: vt perinde ſit acſi hoc loquutus eſſet modo, Cuius ſententiam ita ſequutus eſt ſenatus, qui frequentiſsimus erat, vt vnus diſſentiret hoſtis. DIONYS. Sed de illis *maximè liberaliſſima* quid reſpondetis? Nam ſi loco illo libri tertij De finibus cõfirmari hæc lectio non poteſt, alia quapiam defenſione opus habet. A. Quid ais obturbator? nónne tibi iam reſponſum eſt, poſſe nos mutata tantùm ſede particulæ *quæ*, incommodo illi mederi? P. Addo etiam, poſſe nos fortaſſe, lectionem illam intactam relinquentes, reſpondere, *maximè* cum ſuperlatiuo liberaliſsima non iungi: ſed accipi pro Potiſſimum: perinde acſi dictum eſſet, Quæ potiſsimum, vel Quæ inter omnes alia eſt liberaliſsima. Vel, Quæ, ſi vlla alia, eſt liberaliſſima. Dicerẽ etiam, Quæ pręquauis alia eſt liberaliſsima. Sed poſt illam quoque præ-

poſitionem non ſatis aptum habet locum ſuperlatiuus: potiúſque diceretur, Quæ præ quauis alia eſt liberalis. Quinetiã pro Quæ potiſsimum eſt liberaliſsima, potius ita loqueremur, Quæ potiſsimum eſt liberalis. Tãtũ abeſt vt dici poſsit, Quæ maximè eſt liberaliſsima. Explodatur itaq; Ciceronianus ille cum ſuo illo loquendi genere, *Maximè doctiſſimus*. D. Eadem opera velim quãdam de ſuperlatiuo itidem gradu quæſtionem mihi ſolui: an poſitiuo, quem vocant, (impropriè gradum appellantes) liceat illũ ſubiungere. Audiui enim quendam ita loquentem, Maximus vir & prudens: & ſe in hoc ſermone Ciceronẽ imitari dicẽtem: cuius in Lælio ſint hæc verba, *ſed hi nec comparentur Catoni, maximo & ſpectato uiro*. vel *comparantur*, vt in aliis. P. Paucis reſpondebo: ſed neſcio an ſatisfaciam. Tolerari poſſe videtur iſta lectio, vt ad diuerſa ferri duo illa epitheta (ita enim appellemus) *maximo & ſpectato*, & non in aliis rebus maximum, in aliis ſpectatum fuiſſe intelligamus. Valde tamen raram eſſe hanc ſuperlatiui cum poſitiuo copulationem fateor, & quam imitari nolim: quinetiam ſuſpectam habeam, præſertim quum alia etiam lectio afferatur, *perfecto & ſpectato uiro*. DI. Satiſfeciſti. P. Me tibi ſatisfeciſſe gaudeo. Sed quid eſt

quod video in principio paginæ quæ huic aduerſa eſt? ſolœciſmi mẽtionem Malaſpina facit. Audiamus quíſnam ille ſit. A. Loquitúrne de aliquo ſolœciſmo Ciceroniano? PAV. Certé.Sed(inquit) hanc vnã eſſe rationem dico loci huius nõ tam à ſcriptorum lapſu quàm à ſolœciſmo vindicandi. AN. Principium annotationis legamus. P. QVAM TE. A cõmuni præpoſitione Cum (inquit)ne ſolœciſmus ſit.quanquam ne ſic quidem abundè ſatisfacit. Singulare enim puto,& fortaſſe mendoſum. Nec tamẽ autor ſum vt Cum te dicatur: quod Latini vt diſſonum vitauerunt: ſed hanc vnam eſſe rationem dico loci huius non tam à ſcriptorum lapſu quàm à ſolœciſmo vindicãdi. de quo tamen nihil ſtatuo. ANT. Hæc profectò,ænigmata mihi ſunt. DI. Mihi quoque:ac præſertim ea quæ ſcribit initio annotationis. PAV. Adeundus eſt Ciceronis locus: is,(vt ſpero, annotationem hanc ex obſcura claram reddet. *Hæ meæ tibi ineptiæ (fatebor enim)ferẽdæ ſunt. nam habeo ne me quidem ipſum, quicum tam audacter communicem quàm te. Si tibi res, ſi locus, ſi inſtitutum placet: lege, quæſo, legem,mihique eam mitte.* AN. Hiccine eſt ille Ciceronis locus de quo tantopere laborat Malaſpina? cuius à ſolœciſmo vindicandi vnicam eſſe rationem ait?

PAV.

PAV. Hic certè eſt. ANTON. Atqui ea ipſa quam affert eius loci à ſolœciſmo vindicandi ratio, eiuſmodi eſt vt ipſamet habeat quod à ſolœciſmo aut certè à barbariſmo vindicari non poſsit. Iam enim deſinunt Malæſpinę verba eſſe mihi ænigmata: & video illũ intelligere, pronomini *te* iungẽdam eſſe præpoſitionẽ. id eſt, cũ illo eſſe ſubaudiẽdã, repetitã ex vocabulo *quicum*. P. Vnũquenq; noſtrûm periclitãti Ciceronis orationi ferre opem decet. grauiter autem periclitatur, quũ de ſolœciſmo accuſetur. A. Spero nõ diu periclitaturũ. P. Libet aliquã ex antiquioribus editionibus cõſulere. D. Hanc Badianã conſule. P. *Non habeo, ne me quidem ipſum, quicum tam audacter communicem quantæ ſint ibi res, ſi locus, ſi inſtitutum placet.* Lege *quæſo*, &c. A. Quàm deprauata hîc eſt poſterior pars huius loci. P. Eſt ſanè valde deprauata. nam pro *quàm te. Si tibi res*, &c. ſcriptum eſt, *quantæ ſint ibi res.* Sed habet tamen aliquid iſta editio in principio huius loci quod me ad tuendam Ciceronis cauſam valde adiuuabit. ANT. Imitari (credo) vis illum qui aurum è ſtercore Ennij eruebat: atque adeo te quiddam quod non minus ſit præſtitiſſe dicam, ſi ex iſta ſterorum colluuie veram lectionẽ eruere potueris. P. Imò ego nihil immutare volo:

h.i.

ſed tantùm pro *Nam* quod aliæ habent, legere malo *Non*, quod habet iſta: deinde verba illa *ne me quidem ipſum* parentheſi includere, hoc modo; *Non habeo (ne me quidem ipſum) quicum tam audacter communicē quàm te.* Nam ſi dixiſſet Cicero, Non habeo alium quàm te quicum tam audacter communicem, nónne ab omni ſolœciſmi ſuſpicione abfuiſſet eius oratio? A. Procul, meo quidē iudicio. P. Quid? an per parētheſin interiecta illa verba *ne me quidem ipſum*, ſolœciſmū inuehūt? A. Nequaquam. D. Sed addidiſti vocem Alium ante illa, Quàm te. P. Addidi explicationis tantùm cauſa, non quòd orationi voce illa, tanquam aliquo fulcro, opus eſſet. ANT. Maximas tibi, nomine Ciceronis & omnium eius ſtudioſorū, gratias ago, quòd eum in diſcrimen non capitis, ſed ſuæ Latinitatis (quæ alioqui hactenus tuta fuit) adductum, tam bene defenderis. DI. At Lambinus illúmne in tanto periculo deſeruit? nulla enim auxilij eius facta fuit mentio. P. Imò vt auxilium huic eius loco ferret, emendationem, qua nihil opus erat, attulit. Ita enim in illa Pariſina editione quæ prodiit anno M. D. LXXVI, hunc locum edendum curauit, *Nam habeo ne me quidem ipſum quicum tam audacter communicem quàm tecum.* Annon enim & vo-

bis hæc emendatio minimè neceſſaria eſſe videtur? D. Mihi ſanè. AN. Mihi quoque: ſed fortaſſe recordabatur huius loci qui eſt in epiſtola XXI, lib. V, *tamen erat nemo qui cũ eſſem libentius quàm tecum*, aut alius huic ſimilis. P. Sed audi Antoni: falleris in eo quod dixiſti Latinitatem Ciceronis tutam hactenus fuiſſe. Narrat enim Gellius cap. 7, lib I, quoſdam fuiſſe qui in quinta eius oratione in Verrem, vbi ſcriptum erat, *hanc ſibi rem præſidio putant futurum*, dicerẽt debuiſſe ſcribi *futuram*. Neq; dubitabãt (inquit) quin liber emẽdandus eſſet, ne, vt in Plauti comœdia mœchus, ita in Ciceronis oratione ſolœciſm⁹ eſſet manifeſtarius. Sed illud loquẽdi genus falſò accuſatũ fuiſſe ſolœciſmi, ex eodẽ ſcriptore diſcimus, vel poti⁹ ex quodã eius amico, quẽ reſpõdiſſe ait Ciceronẽ probè ac venuſtè loquutũ. *futurũ* enim nõ referri ad rẽ, neq; pro participio poſitũ eſſe: ſed verbũ eſſe indefinitũ, quod Græci appellant ἀπαρέμφατον, neq; numeris, neque generibus præſeruiens, ſed liberũ vndique & impromiſcuum. Verùm & aliis quibuſdã locis obiecerunt idem crimen cùm alii tum Aſconius Pedianus. qui tamen voluerunt ὑποκορίζεσθαι, non σολοικισμοὺς ſed σολοικοφανῆ dixerunt. Quod autem valde miror, etiam Paulus Manutius quẽdam epiſtolæ quintæ

libri ſexti locum eo crimine accuſat. Inconſequẽs eſt (inquit) & obſcura locutio. ex quo vereor ne corruptè totus hic locus legatur. Ac fieri tamen poteſt vt ita ſcripſerit Cicero, & inciderit in vitium quod Græci σολοικοφανὲς appellant. Cuius generis nonnulla cùm in reliquis eius ſcriptis, tũ in libris maximè contra Verrem deprehenduntur: quæ Pedianus notauit. AN. Non accuſat eo crimine, quum duntaxat ſuſpectum ſibi eius eſſe dicat. Sed locum illum adeamus, obſecro, & videamus an eum quoque hac ſuſpicione liberare poſsimus. Multo enim fœdius in epiſtola quàm in oratione eſſet hoc crimen. Erit autem altius repetẽdus. PAV. *Ea natura rerum eſt, & is temporum curſus, ut non poſſit iſta aut tibi aut cæteris fortuna eſſe diuturna: neque hærere in tam bona cauſa & in tam bonis ciuibus tam acerba iniuria. Quare ad eam ſpem quam extra ordinem de te ipſo habemus, nõ ſolùm propter dignitatem & uirtutem tuam (hæc enim ornamenta ſunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium ſummámque uirtutem. cui mehercule hic cuius in poteſtate ſumus, multum tribuit.* D. Faceſſet nobis multum negotij hic tam æger locus. PAV. Vereor ne & multum negotij faceſſat, & tandem pro deplorato ſit habẽdus, vel (vt magis Ciceronianè loquar) de-

ſperato, ſiue depoſito. DI. Deſperatis Hippocrates vetat adhibere medicinam. A. Idē (vt loquitur vulgus) extremis morbis extrema remedia vult adhiberi: nondū autem æger ille eſt deſperatus. PAV. Audendū eſt. -*in magnis & voluiſſe ſat eſt*. Quid ſi igitur in locum præpoſitionis *ad* aliam vocem ſubſtituamus? AN. Quænam eſſe apta poſsit? PAV. Videamus an verbum *habe* aptè ibi collocari poſsit : ſed lubentius etiam *ipſi* quàm *ipſo* legerim : hoc modo, *Quare habe eam ſpem quam extra ordinē de te ipſi habemus*. Perinde acſi diceret, Quare bene de rebus tuis ſperato, quum de illis ipſi etiam bene ſperemus: & quidem ita vt non eandem tātùm de te quam de aliis multis exulibus ſpē habeamus, ſed extraordinariam quandam & peculiarem, vtpote non ſolùm propter dignitatem & virtutem tuam (hæc enim ornamenta ſunt tibi etiam cum aliis communia, accedunt tua præcipua) ſed etiam propter eximium ingenium ſummámque virtutem. AN. Mihi certè grauiſsimo illi malo aptiſsimum adhibere videris remedium: ac miror nemini eorum qui annotationes aut emendationes in hunc librum ſcripſerunt, quicquā tale in mētem veniſſe. Omnino enim rationi conſentaneum eſſe videtur vt dicamus eximium eius ingenium

illi extraordinariæ ſpei occaſionem præbere. DIO. Vobis aſſentior: quippe qui nõ videam quid aliud habeamus hoc in loco quod poſsimus exiſtimare à Cicerone dici illius extraordinariæ ſpei occaſionem eſſe. Sed quid ſi non legamus, *Quare habe eam ſpem*, ſed. AN. Quid contigit noſtro Dionyſio, Paule? quæ eſt hæc ſermonis ſubita ἀποκοπή? D. Subitus me irriſionis veſtræ pauor corripuit, quum meam coniecturam eloqui pararem. A. At ego verebar ne in deliquium animi incidiſſes. PAV. Imò nos quouis Heraclito ἀγελαστοτέρους mãſuros ſpõdeo, qualiſcunque illa ſit. DIO. Eundem certè mea coniectura ſenſum efficiet quem & tua, quæ (vt verum fatear) ad illã me deducit: ſed loquendi genere vtar quod vereor ne ob inſolentiam à vobis irrideatur, licet alicubi mihi legiſſe videar. Neque tamen amplius reticebo, quum te quod promiſiſti præſtiturum confidam. Dico igitur videndum annon ſcribi poſsit, *Quare adi eã ſpem*. P. Minor quidẽ in hac lectione quàm in illa quam attuli eſſet mutatio, quum ad præpoſitionem *ad* vnica addatur litera: ſed mea multo videtur tutior. AN. Non animaduertiſti fortaſſe Paule eſſe & in fine epiſtolæ quod tuam coniecturam confirmet de illa lectione, *Quare habe eam ſpem*, PAV.

Non equidem. AN. Animaduerte igitur hæc, *Deinde ſpem quoque habeas firmiſſimã propter eas cauſas quas ſcripſi.* Quinetiam in ingenio eius poſitam fuiſſe ſpem illam extraordinariam, euincitur iis quæ ſubiungit, *tibi hanc ipſam opinionem ingenii apud ipſum plurimum profuturam.* PAV. Hîc ingenij tantùm mentionẽ facit, at paulo antè eximij ingenij ſummæque virtutis. Ac miror certè cur ita loquutus ſit Cicero (ſi ita ſcripſiſſe illum credendum ſit) *nõ ſolùm propter dignitatem & uirtutem tuam (hæc enim &c.) ſed etiam propter eximium ingenium ſummámque uirtutem.* Neq; enim mihi placet cum Manutio, priore loco virtutem de præſtantia in rebus omnibus, vel præſtãtia naturæ (vt poſtea maluit) poſteriore, de ſciẽtia intelligere. Naturæ enim præſtantiam ab ingenio non videtur ſeparaturus fuiſſe. Deinde audax eſſe videtur hæc expoſitio, apud Ciceronem præſertim, qua virtus pro ſcientia debere accipi dicitur. ANT. Sunt tamen accuratiſsimè & doctiſsimè à Manutio ſcripta hæc ſcholia. PAV. Eo magis miror eſſe quædam in illis quæ mihi non ſapiant. ANTON. Aliorúmne meminiſti locorum in quibus tuo palato non ſatiſfaciat? P. Sum profectò quorundam memor: ſed eos nolo nunc proponere, ne ſermonem noſtrum interrũ-

pam. A. Eóſne propoſiturum te pollicceris antequam hinc abeamus? P. Polliceor:ſed ea lege vt tu quoque tuam de illis ſententiã proferas, ſuã item proferat Dionyſius. Nũc verò quid de illo duplici vſu nominis Virtus iudicandum cenſes, Antoni? A. Tuum ipſe iudicium expecto,& illi ſtare volo: tãtùm dico, meis auribus valde inſolens hoc accidere vt virtus pro præſtãtia naturæ(preſertim vbi diſtinguitur ab ingenio)inſolens etiam, vt pro ſcientia ponatur. P. Malim igitur in eo diſcrimen ponere, quòd priore loco virtus tantùm, poſteriore ſumma virtus ei tribuatur. Perinde acſi diceret, Multi ſunt & dignitate ornati & virtute aliqua præditi: ideóque hæc ornamenta ſunt tibi etiam cum aliis communia: ſed quòd eximio præditus es ingenio, nec virtute tantùm,ſed ea quidẽ ſumma, hoc verò tibi nõ item cum multis eſt cõmune. Tibíne mea iſta expoſitio ſatiſfacit? AN. Certé. P. At mihi nequaquam: ſed Manutiana minus etiam ſatiſfacere poteſt. ANT. Vel eo certè nomine quòd hunc Ciceronis locum ab illo crimine vindicaris, magnam gratiam à ſtudioſis eius inieris. Quod enim maius ſermoni illius obiici poſsit crimen quàm ſolœciſmus? Niſi fortè barbariſmum grauioris criminis loco ducendum quis eſſe dicat.

P. Vide autem quò hæc accuſandi Ciceronis licentia proceſſerit: quum etiam loci apud eum qui alioqui manente vulgari lectione, omni reprehenſione carent, pro libidine librariorum veterum mutentur, deinde ita excuſentur vt ſolœciſmus vel ſolœcophanes illis ineſſe dicatur, vitium Ciceroni familiare. DI. Quid ais, Paule? potéſne aliquo exemplo hoc probare? P. Poſſum, exemplo cuiuſdam loci qui extat epiſtola XXI, libri V, circa principium, *Etenim quum eſſet maior & uirorum, & ciuium bonorũ & iucundorũ hominum & amantium mei copia: tamen erat nemo quicum eſſem libentius quàm tecum: & pauci quibuſcum eſſem æquè libẽter: hoc uerò tempore quum alij interierint, alij abſint, alij mutati uoluntate ſint: unum mediuſfidius tecum diem libentius poſuerim, quàm hoc omne tempus cum pleriſque eorum quibuſcum uiuo neceſſarió.* D. Quid hîc mutatum fuit? P. Quidam pro *Etenim* repoſuerũt *Vt enim*, quòd neſcio qui veteres librarij ita ſcripſiſſent. D. Quaſi verò adeo temere fides illis habenda ſit, ac non potius plerunque dormitaſſe illos credere debeamus. AN. Quínam verò hi belli emendatores fuerunt? P. Eorum à Manutio fit mentio, ſed ita vt non nominet. Aliis placet (inquit) Vt enim pro Etenim. quia ſic habẽt plerique veteres libri. Quibus addit,

Solœciſmi ſpecies apparet. Quid refert? inquiunt. quàm multa præterea huiuſce generis in Cicerone deprehenduntur! ANT. Hinc certè apparet famam de ſolœciſmis Ciceroniani ſermonis lõgè latéque peruagatam eſſe. P. Apparet: ſed miror Manutium ita illis reſpondere vt interim oſtendat ſe nõ negare quin ſolœciſmi nonnullis in locis inueniantur. Scribit enim, His itaque reſponderi videtur poſſe: ſolœciſmum, ſi modò libri veteres in eo conſentiant, ferendum: ſin aliter, tollendũ. A. Miror quid ſibi voluerit Manutius quum hoc ſcripſit, ſolœciſmum in Cicerone, ſi accedat veterum librorum conſenſus, eſſe ferendum. D. Incidit fortaſſe Manutius in grammaticum quempiam, qui ſolœciſmum bonum & malum conſtituit, ſicut non tantùm malus olim ſed bonus etiam dolus fuit. vnde iuriſconſultos non ſimpliciter dolum, ſed cum adiectione dolum malum dicentes audimus. PAV. Vnum certè proferre poſſum locum, cui ſubeſt ſolœciſmus, non ex genere bonorum ille quidem (quoniam duo eorũ genera tibi cõſtituere placet) ſed ex malorum, ne dicam peſsimorum. ideóque iure optimo ſolœciſmi eum Manutius & quẽuis alium ei ſimilem accuſaret. AN. In quo Ciceronis eſt libro? P. Imò in ea eſt ora-

tione quę Ciceroni olim adſcripta, non tamen à Cicerone ſcripta fuit. AN. De vtra loqueris? duas enim eſſe ſcio de quibus hoc dici poſsit: eã qua Salluſtianæ orationi (quæ itidem ψευδεπίγραφος meritò exiſtimatur) & illam partim iactatricem, partim precatricem, partim ploratricem, quam habuiſſe ad populum diciur antequam iret in exilium. PAV. De illa priore loquor. locum autẽ ſtatim oſtendam. DIO. Minus mirandum erit ſolœciſmum in ea eſſe, quum à Cicerone ſcripta non ſit. PAV. En vobis locum illũ, *Primùm igitur, quoniam omniũ maiores Criſpus Salluſtius ad unum exemplum & regulam quærit, uelim mihi reſpondeat, nunquid ij quos protulit Scipiones & Metellos, antè fuerint aut opinionis aut gloriæ, quàm eos res geſtæ ſuæ & uita innocẽtiſſimè acta commendauit. Quòd ſi hoc fuit illis initium nominis & dignitatis, cur non æquè de nobis exiſtimetur, cuius & res geſtæ illuſtres & uita integerrimè acta?* Neque alia huius loci lectio (quod ad hanc poſtremam eius partem attinet) in vlla editione extat earum quæ in manus meas venerunt. DIO. Sed cui perſuadere poſsis hunc locum ita in omnibus quas videris editionibus legi? plurimas enim à te viſas eſſe ſcio. PAV. Quæ vera ſunt, nequaquam vera eſſe deſinunt quum perſuaderi non poſſunt. ANT.

Etiámne Pariſina illa editio Lābini lectionem iſtam habet? P. Nequaquam: ſed eam ideo non excepi quòd extraordinaria propter illā qua in ea vſus eſt licentiā cēſeri debeat. AN. Quod igitur dicebas, de illis tantùm à te intelligebatur in quibus quæcūque ſunt emēdationes, librorū manuſcriptorum non conjecturarum autoritate nituntur. PAV. De illis tantummodo. magnus autem (vt ſcis) harum eſt numerus. A. Incredibile tamē eſt mihi ita ſcripſiſſe orationis illius autorem, *cur non æquè de nobis exiſtimetur, cuius & res geſtæ illuſtres, & vita integerrimè acta?* Sed neſcio vtro potius modo ſcriptum fuiſſe hunc locum perſuadere mihi debeam: an ita, *cur nō æquè de me exiſtimetur, cuius & res geſtæ ill.* &c. an potius ſic, *cur non æquè de nobis exiſtimetur, quorum & res geſtæ illuſtres.* PAV. Quid ſi verò harum etiā lectionum neutrā à me germanā exiſtimari dicam? AN. Quid aliud quàm hoc à te dici mirabor, & quam aliam putes veram eſſe ſciſcitabor? PAV. In ea retineretur & *nobis*, & *cuius*: ſed interiicerentur aliquot verba: aut enim hæc, aut ſimilis huic eſſet, *cur non æquè de nobis exiſtimetur, & de quouis alio cuius & res geſtæ illuſtres*, &c. ANTON. Mediam quandam emendationis viam tenes inter illas duas quæ à me oſtenſæ fuerunt. D. At

ego ab vtroque veſtrûm diſſentio: & non temere quicquam in hoc loco eſſe nouandum dico. quis enim neſcit numero plurali ſingularem interdum, viciſsímque ſingulari pluralem nonnunquam reddi? atque hoc Græcorum exemplo fieri? AN. Audi Paule Dionyſium manifeſto ſolœciſmo patrocinantem. DI. Reſponde tu Antoni ad ea quæ dico: vel ai, vel nega. A. Non nego vnũ horum numerum alteri nonnunquam reddi: & alicubi verbum pluralis numeri verbo ſingulari excipi, aut etiã viciſsim (vt in hoc Tibulli verſu, *Et ſeu quid merui, ſeu quid peccauimus, uror*) ſed lõgè aliã eius eſſe loci rationẽ dico quem ſolœciſmi accuſamus: quũ ne antecedentis quidem & relatiui idem ſit numerus. PAV. Noli Dionyſi tam malæ cauſæ patrociniũ ſuſcipere: ac potius nobiſcũ purum putúmque illo in loco ſolœciſmum agnoſce, & nobiſcum mirare quî factum ſit vt alicuius vetuſti codicis opera tã fœdam maculam non abſterſerit. ANT. Sunt verò ibidẽ & alia quæ ſuſpecta eſſe poſsint. Cur enim potius, *numquid ij quos protulit Scipiones & Metellos*, quàm, *numquid ij quos protulit Scipiones & Metelli*, dictum eſt? PAV. Ferri & altera illa ſermonis forma poteſt, quòd exẽplo vel potius exemplis non careat. Multo autem magis mihi diſplicet quod ſequitur,

fuerint aut opinionis aut gloriæ.vbi quidam inſerunt *ullius*, vel *alicuius*: vt ita legatur, *fuerint ullius aut opinionis aut gloriæ*. ſiue, *alicuius aut opinionis*, &c. Sed ne ſic quidem Ciceronianum ſtylum hîc agnoſcemus. ANT. Mihi quoque ſuſpectus hic etiam locus erat. Sed non dubito quin aliquando tandē adiumento veterum exemplariū hæ omnes labes eluantur: idémque & in iis contingat locis quos antea protuliſti: præſertímque in illo cuiuſdā ad Atticū epiſtolæ, vbi *maximè liberaliſſima* ſcriptū eſſe vidimus. Recordor enim, quendā aliū eiuſdem Ciceronis locū qui in ſuperioris temporis editionibus eodē omnino deprauatus eſſet modo, poſtea integritati ſuę reſtitutum fuiſſe. Quum enim epiſtola XIX, libri X, alterius voluminis epiſtolarum, ita ſcriptum eſſet in Badiana editione, & pleriſque aliis, *Literæ tuæ mirabiliter gratæ ſunt ſenatui, cùm rebus ipſis, quæ erāt grauiſſimæ, & maximè fortiſſimi animi, ſummìque conſilij, tum etiam grauitate ſententiarum atque uerborum:* aliquando tandem corruit illud tam inſolēs genus loquendi, *maximè fortiſſimi*, inuenta in veteribus libris hac lectione, *quæ erāt grauiſſimæ & maximæ, fortiſſimi animi, ſummiq; conſilij*. atq; ita illi veteres libri quorundā de hac ipſa lectione cōiectură cōprobarunt. Verùm vt ad Manutiū re-

uertar, qui in Cicerone ferendum eſſe ſolœciſmũ ait, ſi vetera exemplaria cõſentiant, miror illũ ita de ſermone Ciceronis loqui. Eſto enim, ſi Ciceroni ſemel atque iterum σολοικίζειν contigerit (iam autem de malo ſolœciſmo loquor, illam ſequens bellam diuiſionem) prę vehementi dicẽdi impetu, aut quum illa πάϑη quæ auditoribus mouebat, ipſius ſimul linguam, tanquam tempeſtas aliqua, è ſuo curſu abriperent, aut aliquis obiectus ſubitò metus illam præpediret: an vbiq;, & quidem in familiaribus etiã illis epiſtolis quas tranquillo animo miniméque perturbato ſcribebat, hanc ſuſpicionẽ in eius ſermonem cadere, aut etiam omnem eius ſermonem huic culpę affinem eſſe dicemus? A. Scio te, Paule, in iis quæ de bono ſolœciſmo dixiſti, quum ad bonum priſcorum dolum alluderes, iocatum eſſe: ſed te vera ſolœciſmum quibuſdam locis obiici exiſtimo, quos etiamſi ita ſcriptos eſſe à Cicerone conſtaret, id vitij quod in ſermone eſſet, minus aſpero atque odioſo nomine appellari & poſſet & deberet. Verbi gratia, ſi in eo quem attuliſti loco ex epiſtola XXI, libri V, non *Etenim* ſed *Vt enim* ſcripſiſſet, non tamen σολοικίζειν dicẽda eſſet illa eius oratio, ſed duntaxat eſſe ἀνακόλουϑον. Quanuis enim ſiquis hæc ad viuum reſecare

velit, etiam τὸ ἀνακόλουθον ſolœciſmi appellatione comprehendi fortaſſe queat, tamen videmus ipſum etiam Seruium, inter grammaticos ſeu ſcholiaſtas (vt Græci recentiores vocarunt) non poſtremum, in aliquot Virgilij locis non dicere ſubeſſe illis ſolœciſmum, ſed tantùm monere anacoluthon ibi eſſe. Nuper verò in quendam noſtri Ciceronis locum incidi qui quum ſolœciſmo careat, ac ne anacoluthon quidem fortaſſe habere dicendus ſit, mirum ni iam inter criminoſos numeratus & ipſe fuit. Is eſt Philippicca IIII, *Quis igitur illum conſulem niſi latrones putant?* AN. Rideretur profectò à grammaticis qui anacoluthon hîc eſſe diceret. P. Scio huic loquendi formæ ſuum apud illos eſſe nomen: ſed non recordor. DI. Vocant Zeugma. ANT. Falleris, Dionyſi. id enim eſt quod ab illis Syllepſis appellatur. P. Rectè dixit Antonius te falli Dionyſi: & non Zeugma ſed Syllepſin ab illis talem verborum ſtructuram vocari. Sic enim à Cicerone dictum eſt, *Quis igitur illũ conſulem niſi latrones putant?* vt à Naſone,

Quid niſi ſecretæ læſerunt Phyllida *ſyluæ?*

ANT. Non magis ouum ouo quàm locus huic illi ſimilis eſt. P. Non animaduertis temet, dum ita loqueris, Syllepſεως exemplum ſuppeditare? diuerſæ tamen. AN. A te

admo-

admonitus animaduerto: alioqui certè imprudens in illam incideram. Sed aliud talis ſyllepſeως exemplum qualis eſt illa Ciceroniana non tibi ſuccurrit? PAV. Iam Naſonianum protuli, nunc & de Maroniano cogito: tu interim *-fœcundum concute pectus*. A. Tam ſterile mihi eſt, quàm tibi fœcũdum: PAV. Mihi ille Maronianus verſus in primoribus labris modò verſabatur. DI. Caue ne deuores, & bonus boni poetæ verſus in ventrem tuum deſcendat: vnde illum omnes illius ſtudioſi fruſtrà optẽt, *-reuocare gradum, ſuperaſque euadere ad auras*. ANT. Non intelligis te valde iam laboranti Pauli memoriæ negotium faceſſere? P. Non deuoraui verſum illũ, aut certè illud hemiſtichium. accipite: *-nihil hîc niſi carmina deſunt*. AN. Hoc quoque exemplum longè aptiſsimum eſt. PAV. Sed quod in aliis ſcriptoribus eſt ſchema, ſeu figura, hoc Ciceroniani nonnulli ſolœciſmũ in Cicerone ſuo appellant. DI. O miſeros, ô térque quatérque miſeros, vel potius miſerrimos Ciceronis manes. PAV. Quid ſibi vult hæc exclamatio? AN. Ego ſanè eodem & ipſe modo exclamaturus eram. PAV. An eorũ vicem doletis quòd illud crimen illi paſsim obiiciatur? DI. Quòd ſermoni illius, poſt homines natos diſertiſsimi vel potius elo-

quentiſsimi, & Latinitatis non ſolùm peritiſsimi ſed etiam diligentiſsimi, id obiiciatur quod ſermoni eorum qui in his nullo modo comparari cum eo poſſunt, minimè obiici cõſueuit. PAV. Quid verò quòd etiam ἀνιστορησία illi à quibuſdam obiicitur? Quid quòd in aliquot ſuarum epiſtolarum locis mẽdacij accuſatur à ſcholiis quæ margini ſunt adſcripta? Ex illis autem vnus eſt lib. III, in vna ex iis quæ ad Appium Pulchrum ſcriptæ ſunt: ea cuius initium eſt, *Gratulabor tibi priùs*. Huic enim eius loco, *In quo unum uereor, ne tu parum perſpicias, ea quæ geſta ſunt, ab aliis eſſe geſta: quibus ego ita mandaram, ut quum tam longè abfuturus eſſem, ad me ne referrent, agerent quod probaſſent*, adſcriptũ eſt in margine, Falſum. nam retulit ad eum Cœlius epiſtola nona libri octaui. Quàm autem falſò illud Falſum margini adſcriptũm ſit, ea etiam ipſa quæ adiunguntur oſtẽdunt. Additur enim, Cœlium ad eum retuliſſe. Atqui nõ dicit Cicero neminem ad ſe retuliſſe, ſed ſe mandaſſe ne referrent. A. Aſtutè agunt profectò Ciceroniani. PAV. Quæ hæc illorum aſtutia eſt? AN. Quũ magiſtrum ſuum Ciceronem interdum archaiſmis, interdum ſolœciſmis vti clamãt, quinetiam mendacia nonnunquam dicere, non ſolùm in iis quæ ad hiſtoriam pertinent, ſed in quibuſdam etiam quæ amicis in ſuis

epiſtolis ſcribit, totidem ſibi effugiorũ genera parant aduerſus quemlibet qui ſermonem eorum velit reprehendere. PAV. Imò verò ad archaiſmos quod attinet, nonnullos illi affingunt quos vſurpare nullo ipſi modo auſint. AN. An vllum archaiſmum ei affingunt, non dicam magis κακιονοπρεπῆ, ſed magis ἀπρεπῆ, eo cuius mentionem antea feciſti? PAV. Certè. ac vereor ne tandẽ alicuius vetuſtæ ſcripturæ apud Ciceronem veſtigia eos ad Plautinum illum ἀρχαιότατον & planè ἀρχαιόζωον archaiſmum deducant, *abſente nobis*, pro Abſentibus nobis. ANT. Non defuerint Ciceroniani qui illum archaiſmum ἀρχαιοπρεπῆ κακιονοπρεπῶς ſtatim vſurpent. PAV. Nequaquam. ANT. Non negas, quantum video, Ciceronem archaiſmis vſum eſſe: ſed quibuſlibet eſſe vſum, id verò eſt quod negas. P. Aſſequeris meam mentem. nam verecundos tantùm quoſdã apud illum archaiſmos eſſe dico: vel (vt breuius loquar) verecundè ἀρχαΐζειν, non Salluſtij aut aliorum quorundam more. DION. At ego putabam tibi Ciceronis ſermonem ab archaiſmis alienum videri. P. Toto certè (quod aiunt) cœlo errabas. Tantum enim abeſt vt vſum quorundam qui in ſuperioris etiam temporis editionibus extant, non agnoſcam Ciceronianũ, vt etiam nonnullos

in recentioribus adiectos admittam. AN. Obſeruaſtíne aliquos qui adhuc à nemine ſint annotati? P. Obſeruaui: ſed eorum in præſenti non recordor. ANT. Vnius ſaltem recordari poteris. PAV. Spero meam memoriam vnum mihi non denegaturam. A. Idem ego ſpero. P. Suggerit mihi illa quendam longè elegantiſsimum, & quem propterea magis miror à nemine eſſe obſeruatum, eorum quidem quorum ſcripta in manus meas venerunt. Is cùm alibi à Cicerone vſurpatur, tum in quadam libri noni epiſtola: & quidẽ vna earum quæ ad Dolabellam ſcriptæ ſunt. Profer librum. A. Si dicas quod ſit epiſtolę initium, tibi ad eam quærendam adiutor ero. P. Initium eſt, *Etſi contentus eram*. Sed nihil te hanc ad rem adiutore mihi opus eſt: en tibi locum. L. *quidem Cæſar, quum ad eum ægrotum Neapolim uenißem, quanquam erat oppreſſus totius corporis doloribus, tamẽ antequam me planè ſalutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi quum tantũ uales apud Dolabellam, quantum ſi ego apud ſororis filium ualerem, iam ſalui eſſe poſſemus.* DI. In qua huius loci parte latet archaiſmus? AN. Ne latere illum dicas, quum à Paulo patefiat. DI. Me quidem certè latet adhuc: fortaſsis autẽ te quoque. A. Dicerẽ archaiſmum illum ſubeſſe his verbis, *Gratu-*

lor tibi quum tantum uales apud Dolabellam, ſi hac particula *quum* veteres ſcriptores ita vſos eſſe recordarer. PAV. Quemadmodum ergo ille apud comicum Græcum dicit, Αἴσωπον οὐ πεπάτηκας, ita ego tibi dicam, Πλαῦτον οὐ πεπάτηκας. D. Cur pręcedentia comici verba, ἀμαθὴς εἶ, reticuiſti? nullã certè Antonio iniuriam feciſſes, ſi his illum compellaſſes. ANT. At tu qui πολυμαθὴς es, poteſne mihi aliquod exemplum huius vſus particulæ *quum* ex Plauto proferre?

DI. Οὐκ ἄρα πουλυμαθὴς Ἀντώνιε εὔχομαι εἶν.

A. Οὐδ' ἐγὼ εἰμ' ἀμαθής· ἀμαθεῖ τί με ἀνδρὶ ἐΐσκεις;

PAV. Vbi eſt Neſtor qui *componere litem Inter Peliden feſtinet & inter Atriden?* DI. Tu nobis Neſtor eſto. AN. Imò Neſtore nihil opus eſt: quia iam litem compoſitam eſſe puto. PAV. Sed quum duo Plauti exempla memoria mihi ſuggereret, veſtrum iſtud iurgiolum (liceat enim iurgiolum dicere, quum nolim iurgium appellare) alterum procul ab illa fugauit. AN. Illud obſecro iam nunc profer, ne Dionyſius iterum aliquid turbarum det, quod hoc quoque tibi è mente excutiat. PAV. Id eſt in fine Menæchmorum,

MESS. *Nunquid me morare quin ego liber, ut iuſſiſti, eam?*

MEN. SVR. *Optimum atque æquiſſimum*

orat, frater. fac cauſa mea.

Men. sos. *Liber eſto.* Men. svrr. *Quum tu es liber, gaudeo Meſſenio.*

an. Vix aptius exemplum potuiſſe afferri videtur. nam Cicero dicit, *Gratulor quum tu tantũ uales:* Plautus, *Gaudeo quum tu es liber.* Imò ordine alio ſunt collocata verba, *Quũ tu es liber gaudeo.* Sæpe autẽ illum Ciceronis conſiderans locum, miratus ſum cur non potius dixiſſet, Gratulor tibi quòd tantum vales. p. Eadem alios quoque admiratio ſubiit, & quidem periculoſa quoſdam. an. Quam tu mihi periculoſam admirationem narras? p. Quæ locum illũ adduxit in deprauationis periculum. nam quibuſdã *quum* in *quòd* mutandi non defuit audacia. an. Non tantùm igitur in periculum venit deprauationis, ſed verè deprauatus fuit. p. Ita ſe res habet: ſed quoniam non ita graſſata eſt per exemplaria illa deprauatrix emẽdatio vt vera lectione ſuperior euaſiſſe dici poſsit, ideo ita loquutus ſum. an. Quod aliud archaiſmi genus extat apud Ciceronem, ab aliis non annotatum? p. In quibuſdam etiam conſtructionibus (vt gra mmatici appellant) verborum illum ἀρχαΐζειν obſeruaui. veluti quũ verbum *Decet* datiuo iungit: quod equidem vidi qui apud illum ſuſpectum haberent, atq; emendãdum pu-

tarent. AN. Eſtne antiqua hæc illius verbi conſtructio? Plautina quidem certè. Quoſdam autem mutare voluiſſe apud Ciceronẽ lectionem in qua conſtructio hæc verbo illi daretur, ideo minus miror, quòd etiam apud ipſum Plautum eadem deprauandi cuiuſdam loci occaſionem præbuerit: quum pro *potis decet*, in hoc Amphitruonis verſu,

Ibo intro, ornatum capiam qui potis decet,

repoſitũ fuerit, *potius decet*, vt ſcribit Henricus Stephanus in ſua de Plauti Latinitate Diſſertatione, quã ſubiunxit ſuo De Latinitate falſò ſuſpecta libro. A. Non ſuccurrit tibi aliquis etiã archaiſmus ex iis quos ab aliis obſeruatos eſſe cõpereris? P. Imò ſuccurrũt duo exempla vnius qui itidem circa cõſtructionem verſari dici fortaſſe poteſt; ſed in quo tamen longius à vulgari receditur, quàm in illo: quoniam ex neutro verbo fit actiuum. Is enim eſt quo verbum *Erumpo* accuſatiuo iungitur: ſiquidem vt Cœliũ ita etiam Ciceronem loquutum eſſe cõſtat. Legitur enim in vna ex epiſtolis Cœlij, *Sic illi amores & inuidioſa coniunctio non ad occultam recidit obtrectationem, ſed ad bellũ ſe erumpit.* Apud Ciceronem verò ad Atticum lib. 16, *Lege arcanò conuiuis tuis: ſed (ſi me amas) hilaris & bene acceptis: ne in me ſtomachum erumpant, quum ſint tibi irati.* Sic autem poſt Lu-

cretium, & alios veteres ſcriptores, Virgilium quoque hoc verbum accuſatiuo iungere videmus: quinetiam Cæſarem, vt Terentium prætercam. Idem verò & de *Emergere ſe* dicẽdum eſt, quod apud Ciceronem legitur. Sed aliud inſuper archaiſmi genus mihi in mentem venit, cuius Lambinus mẽtionem facit. In hunc enim locum orationis pro Quintio, *Reliquum eſt ut eum nemo iudicio defenderit. quod contra copioſiſſimè defenſum eſſe contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore atque improbo: ſed ab equite,* &c. annotat de illo genere loquẽdi, *quod contra*, ſic loqui Lucretium libro I,

Illud in his rebus uerear ne fortè rearis, &c.
-quod contra ſæpius olim
Relligio peperit ſceleroſa atque impia facta.

Quinetiam in voce *ingratiis* (quam pro ingratis apud eundem cùm alibi tum in eadẽ oratione bene repoſitam eſſe cenſeo, *extorquendum eſt inuito atque ingratiis quod non debet*) agnoſcendum eſſe archaiſmũ ſciunt qui Plautum triuerunt. ANT. Videtur ex illo vocabulo *ingratiis* factum eſſe noſtrum *maugré.* PAV. Eadem ſanè eſt ſignificatio: ſed *maugré* (pro *malgré*) ſonat quaſi quis dicat *mala gratia*: perinde acſi nos non cũ bona ſed cum mala gratia cuiuſpiam hoc vel illud facturos eſſe diceremus. AN. Memo-

riæ vocem illã *ingratus* inſigam, necnon illud genus loquẽdi, *quod contra*: (crediderim autem id omnino valere in illo Ciceronis loco, quod Græcè dicendum eſſet, τουναντίον δὲ, vel πᾶν δὲ τουναντίον) inſigã etiam illũ vſum particulæ *quum*. PAV. Omittis cõſtructionem verbi *decet* cum dandi caſu, ἀρχαΐζουσαν & ipſam. Sed in mentione particulæ *quum*, recordatus ſum & alîus: commodùm certè, vt eadem opera totũ ſuum penſum memoria tua accipiat. AN. Nullum eiuſmodi penſum mea memoria recuſabit: dic obſecro quænam illa ſit. PAV. Vocula, & quidem vocularum minima, *ne*, quæ ſubiuncta ſeruit interrogationi, veluti quum dicitur, I*ámne*, vel C*rediſne*. AN. Eſtne aliquis huius quoque vocabuli vſus, in quo dicendum ſit ἀρχαΐζειν? PAV. Eſt profectò apud eundem Ciceronem. ANT. Quiſnam? PAV. Is quo reſponſionem affirmatiuam poſtulat, poſitum pro Nónne. AN. Cur eum vſum ex priſco petitum ſermone dicis? PAV. Quòd apud Lucretium & Plautum frequentiſsimum eſſe videam. AN. Vnum igitur ſaltẽ exemplum mihi non denegabis. P. Si Plautum attuleris, ſpero fore vt ſtatim aliquod occurrat. ANT. *–In me mora non erit ulla.* P. Ne in me quidem mora erit. iam enim in locum vnum incidi, qui nobis illius vſus

exemplum ſuggeret, in Bacchidibus,

PI. *Quid iſtuc eſt?* MN. *Quid eſt? miſíne ego ad te ex Epheſo epiſtolam*

Super amica, ut mihi inuenires? PI. *Fateor factum, & repperi*

Hîc enim Miſíne dictũ eſſe pro Nónne miſi, manifeſtum tibi eſſe puto. ANT. Cui manifeſtum hoc non eſſet? P. Sed huius particulæ Nónne mentio reuocat mihi in memoriam quendam noſtri Ciceronis locum, vbi aut adulterina eſt, aut nouum & ipſa vſum habet. AN. Illum profer. PAV. Eſt hic Tuſcul. quæſt. lib. 1, non procul à principio, M. *Quid? ſi te rogauero aliquid, nónne reſpondebis?* A. *Superbi id quidem eſſet: ſed, niſi quid neceſſe erit, malo ne roges.* A. Video non conuenire reſponſionem cum interrogatione, ſi particula Nónne vſitatam ſignificationem habeat. Sed ne video quidem quam habere aptam huic loco poſsit, etiamſi nouã dare libeat: niſi fortè velimus, *Nónne reſpõdebis,* dictum eſſe pro An tu non reſpondebis? P. Audiui qui iſtud vocabulũ ita hoc in loco exponerent: ſed quanto veriſimilius eſt Nónne pro Nõ irrepſiſſe? præſertim quum hanc non illam lectionem quædam è recẽtioribus editionibus habeant, non ex coniectura, vt opinor, ſed ex veteris alicuius libri autoritate repoſitam. In Badiana qui-

dem certè, & pleriſque aliis quæ nō multis vel antè vel pòſt annis prodierunt, ſcio cōtrà illā non hanc extare. Atque adeo (quod valde miror) in ea quæ poſt alias omnes Pariſiis ante duos annos prodiit, Nónne itidē legitur, nulla facta alterius ſcripturæ mentione: quū alioqui multæ aliæ paſsim margini ſint adſcriptæ. Quod certè me impulit vt loci huius mentionem facerem: & ſimul oſtenderem quàm leui interdum de cauſa nouæ ſignificationes quibuſdam vocabulis affingantur. ANT. Sed tibi non itidē diſplicet, particulæ Ne nouā illam expoſitionem afferri de qua paulo antè dictum fuit. P. Cur diſpliceret, quum manifeſtū ſit illam voculam ita accipi? DI. Cur verò Antoni expoſitionem nouam vocas, quum ita exponēdo tribuatur illi ea ſignificatio quam apud priſcos ſcriptores habebat? Quomodo enim nouitas & archaiſmus ſimul eſſe poſsint, non ſatis perſpicio. A. Quum parum vſitatus ſit ille vſus, & rarò apud Ciceronem occurrat, meritò nouus apud eum eſſe dicetur, quanuis ex ſermonis Latini antiquitate ſit petitus, & vetuſtis ſcriptoribus frequentiſsimus fuerit. Vocari enim nouum & quod eſt inſolens, non ignoras. D. Iam tibi hac de re aſſentior. Sed hoc ex te ſcire velim, an omnibus archaiſmis qui-

bus vſus ſit Cicero, lubenter vſurus ſis. A. Aliquem potius Ciceronianum de hoc interrogare deceat. P. Quaſi verò non antea dictum ſit quendam Ciceronianum ne illo quidem participij *ignotus* vſu in quo ſignificationem actiuã habet, abſtinuiſſe. A. Sed non omnes qui in eo ordine nomen ſuum profitentur, tam inconſideratos eſſe puto. PAV. Scio quendam alium imitatum eſſe illum archaiſmum non minus durum, quo Cicero vtitur libri noni epiſtola 25, *ad imperãdum*, pro *Vt tibi imperetur*, vel *Vt imperiũ feras*. Legimus enim ibi; *Nunc ades ad imperandum, uel ad parendum potius. ſic enim antiqui loquebantur.* Vbi affertur ſimilis Salluſtij locus, *Iugurtha ubi armis uiriſque & pecunia ſpoliatus eſt, quum ad imperandum Thiſdrum uocaretur, rurſus cœpit flectere animum ſuum.* AN. Miror equidem fuiſſe qui hunc quoque archaiſmum vſurpare voluerit, ac non animaduerterit, Ciceronem & pergere iocari, quum ita loquitur (quanuis dixerit, *ſed iocabimur alias corãm: & ut ſpero, breui*) & ad molliẽdum illud priſcum genus loquendi, addere, *uel ad parendum potius.* quinetiã iſta, *ſic enim antiqui loquebantur.* DIO. Debuit igitur ille Ciceronianus talia & ipſe addere? ANT. Ridiculum profectò fuiſſet, cum tam longo comitatu hoc genus lo-

quendi, nimiúmque affectatam ſimúlque puerilem quandam imitationem talis vſurpatio totius loci Ciceronis reſipuiſſet: ſed viciſsim durum illud eſſe, ita nudè poſitū, ego quoq; dixerim. P. Gaudeo te mihi aſſentiri. Sed miſſos faciam illos qui ſine delectu eiuſmodi etiam archaiſmos vſurpant: & potius meam vobis ſentētiam exponam de illis quoque qui eundem ſcriptorem, Ciceronem inquam, & quoſdam alios ex iis quorum epiſtolæ illius epiſtolis ſunt admixtæ, in leuiſsimis etiam rebus exiſtimāt voluiſſe ἀρχαΐζειν. AN. Quas tu mihi minutias narras? vel(vt ipſe appellas)quas res leuiſsimas? P. De iis loquor qui Ciceronem(verbi gratia) *audaciter*, non *audacter*, in hoc vel illo loco ſcripſiſſe contendunt: vel *ſenati*, non *ſenatus*. Scio autem illos quorundam grammaticorum teſtimonium mihi oppoſituros: ſed vix poſſum mihi perſuadere, illos exiſtimaſſe Ciceronem aliquod verbū vno in loco, vel in duobus tribúſve locis, aliter quàm in aliis infinitis ſcripſiſſe. Sic ad illud aduerbiū *audaciter* quod attinet, ſcio Priſcianum ita legere in hoc loco orationis pro Roſcio Amerino, *Tua quoq; res permagna agitur: multa ſcelerate, multa audacter, multa improbè feciſti:* ſed non poſſum mihi perſuadere illum eandē ſcripturā nō & in aliis ple-

riſq; locis pro Ciceroniana agnouiſſe: quã-uis addat in vſu frequẽtiori eſſe Audacter (non de Ciceronis tantùm ſed & de aliorũ quoque ſcriptorum vſu loquens) quod per ſyncopen dicatur. A. Aſſertúrne ex illo tã-tùm loco *audaciter*? P. Memini Gabrielem Faërnum annotaſſe legi itidem audaciter in antiquo ſuo libro, in iſto loco orationis pro Fonteio, *audaciter hoc dico, iudices: non temere confirmo*: (quum alioqui *audacter* omnes ibi legere ſoliti ſint) ſed eundem ita hanc ſcripturam afferre vt non probet. Dubito autem an ideo non probet quòd Fabio videat non placere: quippe qui de moleſtiſsima diligentiæ peruerſitate (vt ipſe appellat) loquens, nominatim huius aduerbij mẽtionem faciat. *Inhærent tamen quidam* (inquit) *moleſtiſſima diligẽtiæ peruerſitate, ut* Audaciter *potius dicant quàm* Audacter: *licet omnes oratores aliud ſequantur: & Emicauit, non* Emicuit: *&* Conire, *non* Coire. AN. Video illum aduerbij de quo nunc agitur, mentionem facere. P. Audi nũc aliud archaiſmi genus, quod nimirum eſt circa declinationem. Nã in ſecunda ad Brutum epiſtola (de iis autem loquor quæ ſeorſum editæ ſunt) Malaſpina legit *ſenati* non *ſenatus*, in hoc loco, *Neque enim populum ſemper eundem habebitis, neque ſenatum, neque ſenati ducem*. Magno conſenſu

noſtri libri(inquit ille)*ſenati ducẽ*, lenius, vt ſenſus indicat. Hæc etiam addit, Nec apud hunc ſingulare. nam vt grammatico nobiliſsimo placet Soſipatro libro primo, in Diuinatione in Verrem ſic legi debet, *Quod in unaquaque re, beneficio ſenati populique Romanu, iuris habui*. Quibus addit quædam Malaſpina in quibus falli videtur. nam ſcribit; Priſci enim homines, quę poſtea quartę declinationis ſunt facta, more ſecundæ declinabant, vt Domi pro Domus (vnde Domi eſſe, ut Romæ, dixerunt ſcriptores) Tumulti pro Tumultus, Queſti pro Queſtus, Fructi pro Fructus: quo vſus eſt Terẽtius in Adelphis, *Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab iis fero*. Itaque Priſcianus, Diuerſis vocibus (inquit) vnum aliquando ſignificamus: vt Queſtus & Queſti, Ornatus & Ornati, Tumultus & Tumulti. ANT. Quidnam eſt in quo illum falli arbitraris? PAV. In eo quòd putat, quum dicitur Domi eſſe, genitiuum eſſe Domi: quòd eodem dicatur modo quo Romæ eſſe. Cur enim quum ita loquimur, vocem Romæ genitiuum, ac non potius datiuum eſſe dicemus? DI. Sed Domi quomodo eſſe datiuus poteſt? Nam declinando per quartã, vt à Domus ſit genitiuus Domuis (ſicut Anuis ab Anus, Priſcianus quoque apud Terentium

legit) datiuus fuerit non Domi, ſed Domui: PAV. Fateor: ſed an putas illos ſyncope hîc quoque vti non auſos fuiſſe? DI. An hoc apud quempiam ex grammaticis legiſti? P. Non equidem: ſed non minus perſuaſum habeo quàm ſi legiſſem: ac fieri etiam poteſt vt ab eorum quopiã ſit ſcriptum. Sed hæc ἐν παρόδῳ de illo vocabulo dicta ſint. de genitiuo autem *ſenati* hoc addo, Fabij quoque autoritate confirmari: nec confirmari ſolùm, ſed afferri tanquam eiuſmodi qui cum altero genitiuo poſsit contendere. Eum conſulamus Antoni. AN. Scio in qua huius bibliothecæ parte ſit Fabius: ſed in qua operis eius parte hoc extet, neſcio. P. Si attuleris, locũ ſtatim oſtendam. ANT. Accipe, & locum illum, vt pollicitus es, oſtende. PAV. Libri primi capite decimo (vt quidam hodie in capita librum illum partiuntur) inuentum iri ſpero. *Quid? non ſimiles quoque* (*ut dicebam*) *poſitiones in longè diuerſas figuras per obliquos caſus exeunt? &c.* Aliquãto pòſt, *Quomodo autem Quire & Ire, uel in præterita patiendi modo, uel in participia tranſibunt? Quid de aliis dicam, quum Senatus, ſenatus, ſenatui, an Senatus, ſenati, ſenato, faciat, incertum ſit?* Quibus addit, *Quare mihi nõ inuenuſtè dici uidetur, aliud eſſe, Latinè, aliud grammaticè loqui.* Quæ igitur tua de his anti-

quis

quis declinationibus ſententia? an Ciceronē nec Senati dixiſſe, nec alio eiuſmodi genitiuo vſum eſſe putas? PAV. Itáne ego in ea ſim ſentētia? præſertim quum duos præſtantiſsimos grammaticos videam illā ſcripturam apud eum etiam agnoſcere? Sed (quemadmodum dixi) hoc mihi perſuadere nequeo, Ciceronem vno tantùm in loco vel in duobus tribúſve, aut ſaltem perpaucis, *ſenati*, in aliis innumeris *ſenatus* dixiſſe. A. Imò verò (reſpondebit fortaſſe quiſpiā) fieri poſsit vt antiqua nominis alicuius declinatio vnico etiā loco ἀφωνίας cauſa fuerit adhibita. P. Quis non miretur, ex mille plus minus locis vnū duntaxat, aut certè tres vel quatuor ad ſummum, ἀφωνίαν talē requiſiuiſſe? Hoc igitur mihi cōcedite quod volo: alioqui cauete ne de iis etiam quæ vobis conceſſi, me reuocem. Nam (vt nihil diſsimulem) vos dubitare atque hæſitare, æſtuare & ſudare denique cogā ſi vel omnibus omnium grammaticorum de aduerbio illo Audaciter teſtimoniis vnā Fabij autoritatem opponam. DI. Quis ille eſt Fabij locus, Antoni, cuius autoritate nos vult Paulus terrere? ANT. Non meminiſti eius quem paulo antè ex primo illius libro attulit? DI. Non equidem. P. Volo igitur locum illum Dionyſio proponere. eo enim

diligenter expenſo, mihi aſſenſurum ſpero.
DI. Quid tandem illud eſt quod à Fabio dicitur? PAV. Vide vt hîc reprehendat eos (moleſtiſsimam diligentiæ peruerſitatẽ ſtudium eorum appellans) qui Audaciter potius quàm Audacter dicant: vide vt addat, omnes oratores aliud ſequi. DI. Sed dubium eſſe poteſt an verba illa, *Licet omnes oratores aliud ſequantur*, de illo aduerbio ſint intelligenda. AN. Amo te de hac reſponſione Dionyſi. PAV. Meritò ſcilicet amas illum de reſponſione quam penè auſim impudentem dicere. Quid enim impudentius quàm quæ ſole clariora ſunt, pro obſcuris velle habere? DI. Concedamus Paulo Antoni quod à nobis cõcedi ſibi volebat. vereor enim ne tandem excandeſcat. AN. Atqui, ſi hoc illi conceſſerimus, parum tandẽ inter Ciceronem & Salluſtium, quod ad tales archaiſmos attinet, fuerit diſcriminis. P. Pertinacia veſtra fecit vt aliud quoddã aduerbiũ mihi è memoria ſit elapſum, in quo itidem volunt Ciceronem ἀρχαΐζειν. DIO. Noli quæſo has de noſtra pertinacia pœnas ſumere, vt nos celes hoc vocabulũ. iam enim illius nos pœnitet. P. Sed quî poſsim vobis dicere quod mihi excidit? DI. Hoc ſaltem polliceris, ſi tibi reddiderit memoria quod nunc eripuit, nequaquam nos ce-

laturum. PAV. Polliceor. Quid me polliceri dico? imò quod polliceri volebã, iam nunc repræſentabo. in illo enim ipſo articulo fuit mihi à memoria redditum: quæ à vobis gratiam, vt opinor, inire cupit. Illud enim aduerbium eſt *Temperiùs*. de quo videre quæ à Manutio annotantur, operæpretiũ eſt. DI. Si priùs ipſum Ciceronis locum legerimus & expẽderimus. PAV. Rectè monnes. quærendus eſt libro nono earum epiſtolarum quæ familiares vulgò appellãtur: à pleriſque rectius, ad familiares. Iam inueni locum: ſed altius repetenda ſunt Ciceronis verba. *Hirtium ego & Dolabellam dicendi diſcipulos habeo, cœnãdi magiſtros. puto enim te audiſſe*, &c. Paulo pòſt, *Tu autem quòd mihi bonam copiam eiures, nihil eſt. tum enim quum rem habebas, quæſticulis te faciebã attentiorem: nunc, quum tam æquo animo bona perdas, non eo ſis cõſilio, ut, quum me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam putes accipere. etiã hæc leuior eſt plaga ab amico quàm à debitore. Nec tamen eas cœnas quæro ut magnæ reliquiæ fiãt: quod erit, magnificum ſit & lautum. Memini te mihi Phameæ cœnã narrare. temperius fiat: cætera eodem modo.* AN. Quid opus erat tam multa ex præcedentibus recitare? D. Quaſi verò vlla Ciceronis verba nimiũ multa videri debeant. Sed iamnunc Manutium audite: ego viciſ-

ſim recitator ero. Primùm Temperius exponit Maturius:& hanc ſuæ expoſitionis rationem affert, quòd ad tempus, non ad frugalitatem referat. Deinde hac de voce iſta ſcribit, Hoc verbum alibi ſemel duntaxat (quod equidem legendo obſeruauerim) vſurpatum inuenio. Sic autem loquutum eſſe Cornelium Nepotē, Ciceronis æqualem, ex Donati verbis quæ ſunt in Terentij vita facilè poſſum coniicere. Illi porro Donati loco hæc ſubiungit, Ouidius & Columella Temporius dixêre. quod recentius videtur, deductum à Tempus temporis: Temperius autem, antiquum, à Tempus temperis. quēadmodum dixêre veteres Pignus pigneris (vnde Pignero verbum) poſteriores autem Pignus pignoris. His addit Plauti locos in quibus temperi, non tempori, ſcriptum eſt. ANT. Miror tantum verborum de re tantilla. PAV. Hoc non auſis coram aliquo Ciceroniano proloqui. AN. Adeo me Ciceronianos formidare putas? Imò & coram illis hoc auſim refellere. P. Quid? an potius ſcribendum eſſe *temporius* contendas? ANT. Hoc ſaltem ab illis extorſerim, non eſſe cur hanc lectionem illi poſtponant. P. Quam rationem afferes? ANT. Quòd ipſe Cicero alibi *tempore* aduerbij loco vſurpet, non *tempere*. Ex *tempore* enim dicēdum eſſe

temporius, non *temperius*, fatendum erit. Vide quàm paucis verbis quàm longum ſermonem refellam. DIO. Et ita quidem vt aduerſarium obmuteſcere neceſſe ſit. PAV. Gaudeo vos tandem aures veritati patefacere. hinc ſanè fiet vt etiam alia eiuſdẽ generis vobis examinanda proponam, quæ alioqui ſilentio præteriiſſem. DI. *–quas dicere grates, Quáſue referre parem?* AN. Quid? an tibi hîc, tanquam ingratus, aut ſaltẽ minus quàm tu gratus, prætereundus fuiſſe videor? DI. Verebar ne Pauli aures offenderem, ſi *parem* in *paremus* mutarem. P. Finẽ veſtris iocis imponite, & quæ dicturum me ſum pollicitus audite. Audite, inquã, alios archaiſmos qui nonnullis eorum affinguntur (hoc enim verè dicere poſſe mihi videor) quorum epiſtolæ inter Ciceronianas extãt. Atque vt à Cœlio initium ſumam, tu Dionyſi epiſtolam eius decimam quære. D. Eã inueni: tuum nunc eſt, locum in ea quærere quo tibi inuento opus eſt. P. *Quàm citò tu iſtinc decedere cupias, neſcio: ego quidem eo magis quo adhuc felicius rem geſſiſti. Dum iſtic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc riſum meum metus aliqui perturbet.* In quibuſdã autẽ editionibus ſeptima eſt hæc epiſtola, non octaua: & quidem in poſteriore Manutij editione in eo ordine eſt collocata. Non

ſolùm autem in hac, ſed in prioribus etiam margini adſcriptum eſt, ab eo illud *aliqui* antiquè pro *aliquis* dictum eſſe. ANT. Sed cui ſe perſuaſurum hoc putauit Manutius, Cœlium adeo τοῦ ἀρχαΐζειν cupidum fuiſſe, vt etiam *aliqui* pro *aliquis* dicere non dubitauerit? DIONYS. Quinetiam(quod facit vt magis mirer hoc ab illo annotari) duæ aliæ lectiones in promptu erant, quæ tali archaiſmo minimè indigebant. vel, *ne hunc riſum meũ metus aliqui perturbent:* vel, *ne hunc riſum meũ metus aliquis perturbet.* A. Verè profectò à te dictum eſt archaiſmos illis affingi: ſi quidem ii quos vis addere, non maiore niti ratione comperiantur. P. Vnum ſaltem locum afferam, cuius ſcripturam ἀρχαΐζουσαν, multo etiam minus rationi cõſentaneam eſſe fateberis. Sed libet priùs aliud vobis in hoc ipſo Cœlij loco conſiderandũ proponere, in quo ego non à Manutiana tantùm editione ſed à cæteris omnibus diſſentio. AN. Ναὶ, καὶ τόδε ἡμῖν προσχαρίζου. D. Οὔ σοι τοῦ χαρίσω, ἀλλ' ἐμοὶ τόδε προσχαρίσεται. P. Sed locum ter quatérque legite, quæſo, deinde diligenter expendite. Idem enim vobis fortaſſe quod & mihi in mentem veniet. ANT. Nihil tale mihi polliceor: præſertim quum de re loquaris à nemine eorum animaduerſa qui vel ſcholia vel anno-

tationes vel caſtigationes in has epiſtolas ſcripſerunt, aut aliquid aliud ad earum illuſtrationem contulerunt. Legam tamen & relegam attentiſsimé. *Quàm citò tu iſthinc decedere cupias neſcio: ego quidem eo magis quo adhuc felicius rem geſſiſti. Dum iſthic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc riſum meũ metus aliquis perturbet.* DI. Hoc expendendi iſtius loci onus totum Antonio incumbit. PAV. Cur non & tibi? DI. Quia poſt heroes illos, Victorium, Manutium, Lambinum, me quicquam excogitare poſſe deſpero. ANT. Ne ego quidem hîc quicquã perſpicio quod emendatione indigere videatur. PAV. Ne tam citò tu quoque, Antoni, animum deſponde. Vereor ne tu, Dionyſi, deſperatione tua illũ quoque in deſperationem adduxeris. DI. At ego hoc contigiſſe ægerrimè ferrem. ac iam elegantiſſimo verſu animum illi addam,

Ne deſponde animum, collige collige eum.

PAV. Cuius eſt iſte adeo lepidus verſus? DI. Admiratione vel potius cachinnatione digniſsimi verſificatoris Leodegarij A quercu. AN. Si mihi non animum addidit verſus ille, at riſum ſaltẽ mouit. P. Scio tamen te in mendis multo magis abſtruſis perſpicacẽ fuiſſe. Sed ne vos diutius ſuſpẽſos teneam, & quo diutius expectata fuerit

à vobis illa mea emendatio, eo minus expectationi veſtræ reſpondeat, iam nunc eam proponam. Nego igitur alîus ſententiæ initium debere eſſe hæc verba, *dum iſtic eris, de belli Parthici periculo cruciabor*: & tantum abeſſe vt poſt *geſſiſti* ponenda ſit τελεία στιγμὴ, vt pronomen *ego* ad verbum *cruciabor* tendere dicendum ſit: & ante illud pronomen illam τελείαν στιγμὴν debere collocari. Quis enim alioqui ſenſus eſt illorum verborũ? aut quid ſibi vult quæ ibi eſt ellipſis? Ellipſin enim huic loco ſubeſſe videmus, illam ſequendo quæ in omnibus eſt editionibus interpunctionem: *Quàm citò tu iſtinc diſcedere cupias, neſcio: ego quidem eo magis quo adhuc felicius rem geſſiſti. Dum iſtic eris.* &c.

ANT. Manifeſtum eſt ellipſin eſſe verbi *cupio*, repetendi ex proximè præcedente mẽbro, & quidem mutando ſimul perſonam ſecundam in tertiam. fuerint verò ad verbũ illud *cupio* addẽda & iſta, (id eſt, cum eo ſubaudienda itidem) *te iſtinc decedere*. Deinde ſubaudire oportebit cauſalem (vt grammatici vocant) particulam ante vel poſt *Dum*. vt perinde ſit acſi ſcriptum eſſet, Nam *dum iſtic eris, de belli Parthici periculo cruciabor*. vel *Dum* enim *iſtic eris*. Atqui hæc omnia incõmoda vitabimus, & ſententiam multo aptiorem elegantiorémque ex illis verbis

eliciemus, ſi interpungẽtes eo quo dixi modo, legamus, *Ego quidem, eo magis quo adhuc felicius rem geſſiſti dum iſtic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc riſum meum metus aliquis perturbet.* DI. Ita igitur hunc locum accipis, acſi mutato verborum ordine dictum eſſet, Ego quidẽ, quo adhuc felicius rẽ geſsiſti, eo magis de belli Parthici periculo cruciabor, dũ iſtic eris, ne hunc riſum meũ metus aliquis perturbet. A. Nõ dubito quin omnes in ſententiã tuã pedibus ſint ituri. D. Nec ipſe profectò dubito quin vel in illã vel in aliam pedibus ituri ſint. manibus enim ire non poterunt. ANT. Pro tuo more hoc facis Dionyſi, quòd mea verba iocis vel potius cauillis excipis. D. Dic etiam (ſi libet) me pro arte mea hoc facere. id eſt, pro artis meæ officio. quid tum? ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην. ANT. O pulchram τέχνην σκωπτικήν. PAV. Cur non potius locum illum attentè conſideratis, & ſymbolas veſtras ad eius explicationem confertis? DI. Nõ aliter quàm de quopiam loco inexplicabili loqueris, quum hoc dicis: quum tamen de eo vſurpandum mihi videatur prouerbium, καὶ τυφλῷ δῆλον. AN. Ipſe quidem certè ſymbolam meam collaturus eram, ſi non interpellaſſet Dionyſius. PAV. Eam obſecro conferto dum te ab eius interpel-

latione defendam. A. Adiuuare tuam ſententiam volebam illa gnome,

-nulla eſt ſincera uoluptas,

Solicitumque aliquid lætis interuenit.

quum in Martis præſertim rebus quæ præ quibuſvis aliis dubię ſunt (vnde & ipſe dubius appellatur) hæc gnome habere locũ dici meritò poſsit. Quinetiã aliã addere gnomen volebam illis Cœlii verbis valde accommodatam, *ne hunc riſum meum metus aliquis perturbet*: ſed eam Dionyſius interpellatione ſua è mea memoria expulit, ſi ita loqui licet. PAV. Si non illius gnomęs numeros, at ſenſum ſaltem meminiſti. ANT. Equidem. ea enim dicitur, quæ ſunt triſtia, quum lætis ſtatim ſuccedunt, ob ſubitam mutationem triſtiora reddi. id eſt, maiorẽ triſtitiam afferre. DI. De hoc ſatis ſupérq; diſſeruimus loco, cuius emẽdandi & exponẽdi occaſionem archaiſmus ille, *aliqui* pro Aliquis, tibi præbuit: tempus iam eſt vt ad alterum locum venias de quo te verba facturum promiſiſti, & cuius ſcripturam ἀρχαΐζουσαν multo etiam minus rationi conſentaneam eſſe dixiſti. P. A Cœlio igitur ad Plancum tranſeundum eſt: id eſt, ad quẽdam Planci locum qui eſt libro decimo, in ea epiſtola cuius hoc eſt initium, *Antonius idibus Maiis Forum Iulij cum primis copiis uenit.*

In ea enim hæc etiam leguntur, *Lepidus tandem quod ego deſiderabam fecit, ut Apellam ad me mitteret: quo obſide fide illius & ſocietatis in rep. adminiſtranda uterer.* Antequam autem de hoc loco diſſeramus, legamus & quæ Manutius & quæ Lambinus in eum annotant. Margini quidem hæc adſcribit, Fide pro Fidei, vt Die pro Diei: Gell. lib. IX, cap. XIIII. deinde ad ſcholia ſua remittit. In his autem ſcribit, Sic in omnibus vetuſtis exemplaribus: & dixit *fide* pro *fidei*, generãdi caſu. quemadmodum etiam Salluſtius in Iugurtha, *Decima parte die reliqua*, pro Diei. Id quod Gellius notauit: qui etiã C. Cæſarẽ Huius die & Huius ſpecie dicendũ putaſſe tradit. Hæc ille. Conſulendus autẽ nũc eſt Lambinus. *Quo obſide fidei illius* (inquit) iampridem ſic mihi viſus erat hic locus legẽdus: aliquot autem pòſt annis cognoui, Errico Stephano, viro doctiſsimo, idem videri. Alij retinent lectionem vulgatam, *fide illius*, &c. & tamen *fide illius* pro *fidei* poſitũ eſſe volunt: vt ſit antiquus generandi caſus. Audiſtis iam quæ & à Lambino in locum illum ſunt annotata: qui quum dicit ſe aliquot pòſt annis cognouiſſe idẽ Errico Stephano quod ſibi videri, intelligit quod Stephanus de hoc loco ſcripſit in ſuo Caſtigationum in Ciceronem opuſculo, anno

M. D. L V I I, quum nondum quicquam in Ciceronem Lambinus (quod ſciam) edidiſſet. Ibi autem à Stephano inter alia annotatur, qua dicitur ratione aliquis fidem alterius liberare, eadem dictum iri aliquem eſſe obſidem fidei alterius: atque adeo hac quoſdam metaphora poſt Plancum eſſe vſos. Quibus addit, Nec verò licentia poetica illum in ſcribenda epiſtola vſum eſſe credibile eſt. A N T. Meritò certè licentiam poeticã Stephanus id appellat. Quanuis enim Priſcianus ſcribat inueniri, veteres frequentiſsimè protuliſſe ſimilẽ ablatiuo genitiuũ (quod & de datiuo dicit) in quinta illa declinatione, tamen ne ipſi quidem poetæ eo vſi comperiuntur, niſi quum eos ratio numerorum ſui verſus cogebat: quaſi tum demum ſibi licere exiſtimantes priſcam Latinitatem ea in re imitari. Sic Virgilius quum videret verſum ſuum non admittere genitiuum *diei*, quo alibi vtitur, illius priſcæ Latinitatis opem implorans, genitiuum *die* ab ea mutuatus eſt, hoc in verſu, Georg. lib. I,

Libra die ſomnique pares ubi fecerit horas.

Idémque & Ouidius Metamorph. V I, fecit, hoc in verſu,

Vtque fide pignus dextras utriuſque popoſcit.

P. Verùm excipiẽt, Salluſtium quoq; ita loqui, quem nõ itidem neceſsitas vlla cogat.

A. Ne hîc quidẽ mihi deerit quod reſpondeam. Quid enim ſermo Planci cum Salluſtij ſermone commune habet? DI. Quis, vt apud Salluſtium, ita etiam apud Plancum antiqua paſsim non ſolùm vocabula ſed etiam loquendi genera dicet occurrere? DI. Miror equidem Lambinũ in illa ſua annotatione, quum loqueretur de illis qui *fide* pro *fidei* poſitum eſſe in illo Planci loco vellent, vt eſſet antiquus generandi caſus, eorum ſententiam non conatum eſſe refellere. P. At mihi nequaquam mirum id videtur. D. Quid cauſæ eſt? P. Quoniam & ipſe apud Horatium *fide* pro *fidei* accipi putauit, quodam in loco, in quo nihilo magis illum quàm Plancum de hoc archaiſmo cogitaſſe credibile eſt. D. Locum illum videre percupio. P. Quærenda igitur mihi eſt illa editio Horatii quæ ex Henrici Stephani officina ante bienniũ prodiit, in qua partim eius partim aliorũ ſcholia margini ſunt adſcripta. In illius enim editionis calce cùm de aliis quibuſdam locis tum verò de hoc diſſerere illum memini. DI. Illam quæſo affer, ſi tibi moleſtum non eſt. P. Imò verò nihil eſt quod libentius ſim facturus. A. Quò properat Paulus? DI. In bibliothecã interiorem. ANT. Quid ibi facturus? DI. Quaſi verò aures ad noſtrũ de Horatii loco

ſermonem obſtruxeris. ANT. Non aures obſtruebam, ſed alias res agebam. P. En tibi illam Henrici Stephani editionem Horatianam. Quod autem dixi, in vna ex eius Diatribis quærendum eſt. inſcripſit enim Diatribas ea quæ calci illius editionis adiecit, in quibus de variis diſſerit quæ ad varios Horatii locos pertinēt. In ſecunda autem (ni fallor) Diatribe de loco illo agit. Non procul abeſſe nos puto. Potiſsimum autem (inquit) eos locos mutare nolui, vbi quum recepta lectio commoda ſit, &c. Aliquanto pòſt, Quid? debuíne & aduerſus hunc locum, *Conſtanti iuuenem fide*, aliquid moliri? Certè ſi Latinè atque adeo Latiniſsimè nō dicitur, *homo conſtanti fide*, multi ex primariis ſcriptoribus errant: at ſi dicitur, cur voluerit Horatius licenter ita loqui, *conſtantis iuuenem fide*, pro *conſtantis fidei*, potius quàm *conſtanti iuuenem fide* (numeris præſertim æquè hoc atque illud permittentibus) dicere? Huic loco ſcilicet valde accommodatus erat genitiuus antiquus *fide* pro *fidei*, qui nulli alii Odarum vel Epodωn loco conueniebat. Neque enim vllum aliud huius archaiſmi exemplum inde affertur. Legitur quidem ſatyra tertia libri prioris *fide* pro *fidei*, ſed cogente verſus lege, *-quid faciā ſi furtum fecerit, aut ſi Prodiderit commiſſa fide?*

Quæ autem his addit, alio (ſi vobis videbitur) tempore legetis. vtendum enim librum lubenter dabo. AN. Sed ad noſtrum illum Planci locum quod attinet, cum aliter etiã ſcriptum legiſſe mihi videor in aliqua ex antiquioribus typographicis editionibus. Quare Badianam conſulamus. PAV. *Lepidus tamen quod ego deſiderabam fecit, ut Apellam ad me mitteret: quo obſide fide illius & ſocietate in repub. adminiſtranda uterer.* AN. Huius lectionis nullam mentionem à Manutio fieri miror. PAV. Erit certè cur mireris: præſertim ſi in Aldi etiam patris eius exemplaribus inuenitur. ANT. Illa quoq; nobis conſulenda ſunt. PAV. Ipſum quoq; Aldum ita locum illum excuſum reliquiſſe vides? *quo obſide fide illius & ſocietate in rep. adminiſtranda uterer.* ANT. Video. Quod verò tuum eſt de hac lectione iudicium? P. Eam quoque poſſe recipi iudico, accipiendo Quo pro Vt. ideóque Manutium, ſi *obſide fidei* admittere nolebat, ſed *obſide fide* retinere malebat, ſaltem ablatiuũ quoque *ſocietate* debuiſſe ab eo retineri dico: & quiduis potius faciendum fuiſſe quàm confugiendum ad illum archaiſmum. ANT. Sed audi obſecro Paule, audi quod mihi apud Aulum Gellium (vel Agellium, vt quidam hodie vocandũ aiũt) legiſſe videor. PAV.

Quid illud eſt quod apud Gellium legiſſe tibi videris? ANT. Aliquid profectò quod faciet vt ab huiuſmodi archaiſmis apud ipſum etiam Ciceronem non tantopere abhorreamus. Profer itaque Gellium. PAV. Illum accipe, & locum quem dicis quære. AN. Ciceronē quoque (inquit) affirmat Ceſellius in oratione quam pro Sextio fecit, *dies* ſcripſiſſe pro *diei*. quod ego impenſa opera conquiſitis veteribus libris pluſculis, ita vt Ceſellius ait ſcriptum inueni. Verba ſunt hæc M. Tullij, *Equites uerò daturos illius dies pœnas*. Quibus addit, Quocirca factum hercle eſt vt facilè iis credam qui ſcripſerūt idiographum librum Virgilij ſeſe inſpexiſſe, in quo ſcriptū eſt, *Libra dies ſomníque pares ubi fecerit horas*. id eſt, diei ſomníq;. Quid tu Paule de illo Ciceronis loco reſpondebis? PAV. Scripturæ quæ in illis cernebatur exemplaribus illam opponendam eſſe dicam quæ in aliis hodiéque cernitur, veteribus & ipſis. Addam etiam, valde ſuſpectū reddi illum genitiuum teſtimonio Priſciani: quum genitiui *die*, non *dies*, mentionem faciat: & ita quidem vt in illo ipſo Virgilij verſu quem Gellius loco Ciceronis ſubiungit, & in quo *dies*, vt apud Ciceronem, ſcribit, ille *die* ſcribat, ne facta quidem vlla ſcripturæ alterius mentione. ANT. Quid? an

malis

malis *die* quàm *dies* in illo etiam Ciceronis loco pro genitiuo *diei* ſcribere? PAV. Imò verò neutrum illorum admittam, ſed tertiũ hunc retinebo, interim dum Gellius & Priſcianus de idiographo Virgilij diſceptabunt. ANT. At Gellij, vtpote antiquioris, maior eſſe debet autoritas. Quòd autem libris vetuſtis Gellij illos qui nunc extant opponẽdos cenſes, vereor vt in eo quiſquã tibi aſſentiatur. P. Quid ita? an nulla perueniſſe ad nos exemplaria exiſtimas cum illis quæ nanciſci potuit Gellius comparãda? ANT. Maiorem ſaltem eo tempore fuiſſe veterum exemplarium copiam, & quidem meliorum, nõ negabis. PAV. Etiamſi hoc dem (multo enim plura tunc fuiſſe neceſſe eſt, quũ ab eo tẽpore & vaſtationibus quę ex bellis contigerunt, & aliis temporum iniuriis, maximum eorum numerum periiſſe conſtet) illud certè non dabo, nullum locum in iis quæ ad noſtram ætatem peruenerint melius legi quàm in Gellianis: vt iam non de illo tantùm Ciceronis loco, ſed de aliis quibuſlibet loquar. Coniecturã enim facio ex iis Xenophõtis exemplaribus quibus Dionyſius Longinus vſus eſt, quæ illi occaſionem iuſtiſsimam reprehendẽdi Xenophontis præbuerũt: quum tamen, ſi conſulãtur tam quæ manu quàm quæ typis ſcri-

pta nunc extant, falſò reprehenſum fuiſſe, comperturi ſimus. D I. Dionyſius Dionyſio opitulari poſſe cuperem: & opitulabor fortaſſe, ſi, quæ ſit illa reprehenſio, nobis expoſueris. P. Quum Xenophon in Lacedæmoniorũ politia declarare vellet quàm bene cùm ad alia tum verò ad verecundiam & modeſtiam adoleſcentia apud eos inſtitueretur ex Lycurgi præceptis, ſcripſit, ἐκείνων γοῦν ἧττον μὲν ἂν φωνὴν ἀκούσαις ἢ τῶν λιθίνων, ἧττον δ' ἂν ὄμματα μεταστρέψαις ἢ τῶν χαλκῶν· αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων. quũ autẽ ille hæc ita ſcripſiſſet, Dionyſius Longinus minus bonis exẽplaribus vſus quàm ea ſunt quæ hodie inueniũtur, in iis pro ἐν τοῖς θαλάμοις legit ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς: atque inde reprehendendi atque exagitandi Xenophontis occaſionẽ arripuit. Poſtquam enim dixit, illos etiam heroas Xenophontem & Platonem, quanuis è Socratis palæſtra prodierint, ſui tamen interdum propter quædam μικροχαρῆ (ita enim appellat) obliuiſci: locum illum in exemplum affert: & ſubiungit, Amphicratem, nõ Xenophontem, decuiſſe ita loqui vt τὰς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς κόρας vocaret παρθένους αἰδήμονας. Quomodo enim (inquit) generali appellatione pupillæ oculorum vocari queant virgines verecundæ (vel pudibũdæ) quum im-

pudentia quorundam non ex alia parte magis quàm oculis perſpici exiſtimetur? vnde dictum eſt ab Homero, κυνὸς ὄμματ' ἔχων. A. Ita imprudens Dionyſius immerentem Xenophontem reprehendit. D I. Non eſt igitur Dionyſius ob ſuam illam reprehenſionem reprehendendus, ſed culpam in libros quibus vſus eſt coniicere debemus. P A V. Eadem autem opera hoc mihi dabitis, poſſe fieri vt qui longo annorũ ſpatio nos anteceſſerunt, quoſdam locos minus emendatos, quàm nos, habuerint. D I. Nónne hoc illi concedendum cenſes, Antoni? A. Cenſeo. P. Audite verò quod admirationẽ vobis augebit. D I. Quid illud eſt? P. Quòd ex iis quæ addit Longinus, Timæum quoq; exemplaribus Xenophontis eodem modo in loco illo deprauatis vſũ eſſe patet: quippe qui locũ illũ imitans dixerit, ὅτις ἂν ἐποίησεν, ἐν ὀφθαλμοῖς κόρας, μὴ πόρνας ἔχων; D. Imò verò Dionyſio iam Dionyſius contradiceret in eo quòd Timæum, quum ita loquutus eſt, Xenophõtem imitari voluiſſe affirmat. Magis enim veriſimile eſt eum non aliò quàm ad illam metaphoricam pupillarum appellationem reſpexiſſe, in Gręco ſermone vſitatiſsimã, qua κόραι dicuntur, quaſi παρθένοι. A N T. Σύμψηφός σοι εἰμί.: præſertim quũ minus etiã credibile ſit, Timęo quàm

Longino emẽdata Xenophontis exemplaria defuiſſe. P. Sed de Longino ſaltem id tibi, velis nolis, fatendum eſt, cum non tam bonis exemplaribus eſſe vſum quàm ſint ea quæ in manus hominum noſtri ſeculi venerunt. Et verò ipſe modò Dionyſium per imprudentiam reprehendiſſe immerẽtem Xenophontem fatebaris. Cur igitur nunc minus credibile eſſe dicis, Timæo quàm Longino emendata exemplaria defuiſſe, quaſi ne de Longino quidem hoc credẽdum ſit? AN. Exciderunt mihi verba illa: quum alioqui illud, de Timæo quidem incredibile, at de Longino mirum duntaxat eſſe cenſeam. DI. Sed quid aliud, Paule, vis illi Gellij teſtimonio opponere? AN. Eorum qui nunc extant librorum autoritatem. DI. Quid ſi verò inueniantur ex his quoq; nonnulli qui Gellianis in lectione illa aſtipulentur? P. Videro tum quid reſpondendum erit, loco illo priùs attentè conſiderato. AN. Finge, obſecro, Paule, te iam nunc omnium veterum qui vſquam in Europa ſunt librorum teſtimonio conuictum teneri: & quaſi ita conuictus, iam nunc reſponde. DI. Idem te oro, Paule, atque obſecro. P. Tales oratores, exoratores eſſe par eſt. Audite igitur quid ego ſuſpicaturus ſim, ſi omnes libros de hac ſcriptura videã inter ſe cõſentire, ita

vt Ciceronē nō aliter ſcripſiſſe credere mihi neceſſe ſit. AN. Libentiſsimè & auidiſſimè tuam illam ſuſpicionem audiemus. P. Suſpicabor equidem Ciceronem, quum ita loqueretur, *equites daturos illius dies pœnas*, pro *illius diei*, ſermonem alicuius qui in eo loquendi genere ἀρχαΐζειν volucrat, imitari, aut etiam alicuius, qui vt ἀρχαῖος erat, ita ἀρχαιοτρόπως loquutus fuerat. Sed locus ille adeundus eſt. fortaſsis enim diligenter omnia circumquaque luſtrando, aliquid quo meam ſuſpicionem confirmē inueniā. AN. Ita faciendum cenſeo. P. *Exanimatus euolat ex ſenatu, non minus perturbato animo atque vultu quam ſi annis antè paucis in creditorum conuentum incidiſſet. Aduocat concionem: habet orationem talem conſul, qualem nunquam Catilina victor habuiſſet: Errare homines ſi etiam tum ſenatum aliquid in rep. poſſe arbitrarentur: equites verò Rom. daturos illius dies pœnas, quo me cōſule cum gladiis in cliuo Capitolino fuiſſent: venisse tempus iis qui in timore fuiſſent (coniuratos videlicet dicebat) ulciſcendi ſe. Si dixiſſet hoc ſolum, omni ſupplicio dignus eſſet.* &c. Nónne videtis, è duobus quę ſuſpicabar, alterum cōperiri verum? AN. Et videmus, & fatemur. ipſa enim conſulis verba refert Cicero, qui conſul ſermonem ſuum aliquid ἀρχαϊκὸν habere volens, non dixerat *diei*, ſed *dies*. PAV.

Perinde igitur eſt acſi ego ſermonem à Gallo quopiam habitum referens, ex eorum numero qui non *Francois* pronuntiãt ſed *Francés* (qui illum mollem & effœminatum ſonum non aliter poſſunt defendere quàm vt ſe ἀρχαΐζειν dicant) ipſe quoque non illo ſed hoc vocabulo vterer. Nec verò dubito quin Cicero verbis illis, *daturos illius dies pœnas* adieciſſet, *ita enim loquebatur*, aut tale quid, niſi putaſſet omnes intellecturos non ideo vti ſe illo vocabulo quòd ſibi magis quàm alterum placeret, ſed quòd in eo bellum etiam illum conſulis ſermonem repræſentare vellet, ipſamet verba referendo. Sic certè Iulius Cæſar, ſic quidam alij in ea fuerunt hæreſi, quæ archaiſmos nonnullos mordicus tenendos cenſebat, quum eos cæterorum aures tanquam omnino obſoletos auerſarentur. D. Iam profectò nõ aliud habeo quod dicã, quàm me mirari, Gellio nõ eandem quam tibi ſuſpicionem in mentem veniſſe. Tum enim locum (vt à te factum eſt) adiiſſet, & Ciceronianum eſſe illius archaiſmi vſum, credere deſiiſſet. AN. Non tamen (vt opinor) ad omnes archaiſmos eiuſdem generis recipiendos tam difficilem te prębes. PAV. Haud ſcio quóſnam eiuſdem generis archaiſmos intelligas. ANT. De leuioribus illis loquor, in quibus vel

declinatio tantùm ſeu coniugatio alia eſt quàm in vulgari ſermone, vel aliquid tantùm circa ſcripturam diſcriminis. Neque enim (exempli gratia) *inermorum* te reiecturũ puto pro *inermium*, neque *duo* pro *duos*, neque *reapſe* pro *reipſa*. PAV. Non equidem adeo moroſus ſum. A. Quid quũ *cõfieri*, aut *apiſci*, aut tale aliquod verbũ occurret? an tibi in ſermone Ciceronis, aut alîus cuiuſpiam eorũ qui eodẽ tempore vixerunt, & quorũ epiſtolæ Ciceronianis ſunt permixtæ, ſtomachum mouerit? P. Nequaquam: non adeo ſum ſtomachoſus. Quòd ſi etiam ob quædã alia priſca compoſita ſtomacharer, at non ob illud *confieri*. D. Cur ob illud minus quàm ob aliud quodpiam? P. Quoniam Cæſarem in ſuis cõmentariis eo vſum eſſe ſcio, ſicut Balbum & Oppium in ſua ad Ciceronem epiſtola, quæ eſt inter illas quas hic ad Atticũ ſcripſit. Quinetiã Virgilium (poſt Lucretium & Terentium) idem verbum vſurpaſſe video, qui tamen non cuiuſlibet antiqui verbi vſum ſibi permittit. AN. Quî fit igitur vt in Sulpitij ad Ciceronem epiſtola vix dignum cenſeatur quod margini adſcribatur? in hoc enim illius epiſtolæ loco, *Etſi genus hoc conſolationis miſerum atque acerbum eſt: propterea quia per quos id fieri debet, propinquos ac familiares, ipſi pari mo-*

leſtia afficiuntur, nō *fieri* ſed *confieri* ſcriptum eſſe audio in pleriſque vetuſtis exemplaribus, vel potius in pleriſque omnibus. Ideóque minimè dubito quin illa editio Lambini cuius ſæpe facta fuit à nobis mentio, vocem iſtam habeat. Vis eam inſpiciamus? PAV. Volo. Imò verò ne inſpicienda quidē eſt, quum illam ibi eſſe recorder. DI. Ego verò aliud à vobis peto, vt Virgilij locũ, vbi verbo illo *confore* vſus eſt, mihi proferatis.

Et meminiſtis enim, credo, & memorare poteſtis.

PAV. An ex vtriuſque ore ſimul audire locũ illum cupis? DI. Ex alterius veſtrûm ore audire ſat erit: ſed ego more comicorũ ſum loquutus, quibus familiare eſt, *Aperite oſtiũ aliquis*. A. Si à ſolo Paulo illũ petiiſſes, iam accepiſſes. P. Illi certè non denegabo. audi igitur Dionyſi, ex AEneidos libro IIII,

— nunc qua ratione quod inſtat

Confieri poſſit, paucis (aduerte) docebo.

Sed accipe ſimul & ἐπίμετρον. AN. Imò contētus ſit Dionyſius illo dono quod à te petierat: tu auctarium illud mihi donato. D. Atqui nondum noſti quid illud ſit. A. Donari mihi poſtulo, quicquid ſit. PAV. Aliquid magnum eſſe arbitraris, quantum video: quum res ſit perexigua. Non enim aliũ locum illi addere volebam, ſed tantùm al-

teram quam pro *confieri* quædam exemplaria habent lectionem. AN. Quænam illa eſt? vereor equidem ne teſtimonium illius poetæ ex certo nobis incertum reddas. P. Imò verò nequaquam vos mouere altera illa lectio debet, ſed tantùm monere. DI. Ede tandem & illam.

P. *Quo fieri poſſit, paucis (aduerte) docebo.* DI. Cur hac non moueri nos ſed tantùm moneri debere dicis? PAV. Moneri de reiiciẽdis quibuſdam lectionibus huiuſmodi quæ, vbi vocabula quæpiam parum vſitata occurrunt, velut ſuccedaneæ ſubduntur, vt Plautinis verbis vtar. Siquidem ad hanc ipſam vocem quod attinet, apud aliũ etiam ſcriptorem in quibuſdam exemplaribus in aliam vocem mutatam eſſe ſcio. Sed te Antoni iis quæ à me dicuntur non attendere video. dic obſecro qua de re ſit tua cogitatio. ANT. Cogitabam certè (nihil enim te celare velim) de illo qui modò allatus fuit ex Seruij Sulpitij epiſtola loco, *etſi genus hoc conſolationis miſerum atq; acerbum eſt: propterea quia per quos id fieri debet propinquos ac familiares, ipſi pari moleſtia afficiuntur, neque ſine lacrymis multis id conari queunt.* PAV. Quid verò de hoc loco cogitabas? AN. Annon eadem eſſet hæc ſermonis forma, *per quos id fieri debet propinquos ac familiares, ipſi pari moleſtia afficiũtur,* quæ & in illa oratione qua

Cicero, aut quicunque eſt eius autor, Salluſtio reſpondet, aut alij cui falſò nomen hoc tribuitur? Lubétne illum locũ adeamus? P. Lubet. A. *Primùm igitur quoniã omniũ maiores Criſpus Salluſtius ad unum exemplum & regulam quærit, uelim mihi reſpondeat, numquid hi quos protulit Scipiones & Metellos, antè fuerint aut opinionis aut gloriæ, quàm eos res geſtæ ſuæ & uita innocentiſſimè acta commendauit.* Scio enim quoſdam huic etiam loco ſubeſſe σολοικοφανὲς exiſtimare, & ſcribendum eſſe Metelli, acriter contendere. PAV. Falluntur qui hunc locum σολοικοφανοῦς accuſant. alioqui non paucis eorũ etiam ſcriptorum qui inter primarios habentur, idem crimen eſſet obiiciendum. Neque tamen locus ille Sulpitij tam ſimilis eſt iſti, vt non aliquos magis ſimiles inueniri poſſe exiſtimẽ. D. Mihi quidem in mentem venit cuiuſdam qui propius ad illum accedit, quod ad illam ſermonis formam attinet: ſed is poetæ eſt, nõ oratoris. PAV. Cuius poetæ? DI. Virgilij. PAV. Scio iam quo de loco cogites, ſimúlque te falli ſcio. DI. Dic ergo diuinator de quo cogitem. P. De iſto, *Vrbem quã ſtatuo ueſtra eſt.* DI. Iam equidem te diuinaſſe poſſum verè dicere: ſed cur me in illo exemplo falli dicas, ſcire aueo. P. In eo ipſo quòd locum illum in exemplum talis ſtructuræ orationis afferri poſſe exiſtimas.

A. At mihi tamen eodem falli modo contigiſſet. nam & ipſe in exemplum attuliſſem. PAV. Neque mirum hoc mihi videtur: quippe qui à grammaticis etiam afferri ſciam. A. Quænam alia eſt igitur huius loci lectio? P. Vt poſt *ſtatuo*, interrogationis ponatur nota: hoc modo,

Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?
Vrbem quam ſtatuo? veſtra eſt.

ANT. Intelligis ergo repetendum eſſe verbum vultis: hoc modo, Vultis vrbẽ quam ſtatuo? veſtra eſt. D. Amplius deliberandũ cenſeo: res magna eſt. ANT. Ego autem & de ſolœciſmis & de archaiſmis dicendi finẽ faciendum cenſeo. DI. Imò verò ſicut ex Cœlio & Planco archaiſmorum allata ſunt exempla, ita ex cæteris afferri cupiebam. P. Quid ſi apud eos nulla vel multo pauciora extent? Ac ne apud hos quidem extare dicenda ſunt quæcunque in eorum ſermone in nonnullis exempl. inueniũtur: vt ſatis patet ex iis quæ à nobis dicta fuerunt. DIO. Nónne horum atque aliorum qui ad Ciceronem in illo ipſo Epiſtolarum opere ſcribũt, multo durior quàm Ciceronis fuit ſermo? P. Si Manutio credimus, nõ durus ſolùm ſed duriſsimus eſt Cœlii ſermo. Loquẽs enim de hoc loco ſextę eius epiſtolæ, vel (vt alij eam collocant) nonæ, *Curionem prorſus non mediocriter obiurgatus, hac repulſa ſe muta-*

uit,poſtquam dixit *obiurgatus* eſſe pro Obiurgauit:vt dicitur Iuratus pro Iurauit, atq; vt Rebellatos pro Rebellauiſſe dixit Valerius Maximus:atque addidit ſibi tamen interdum ortam eſſe de mendo ſuſpicionem, quòd fortaſſe ſcripſiſſet. Cœlius,*obiurgat.ſcilicet hac repulſa ſe mutauit*,& litera vnica S ſcriptum *ſcilicet*, occaſionem loci deprauandi dediſſet:tandem adiicit,Omnes tamē libri veteres in *obiurgatus* conſentiunt.itaque poteſt antiquum eſſe, & ideo Cœlianum. A. Quaſi verò Cœlius adeo fuerit antiquarius. P. At peiora etiam de illo, id eſt magis odioſa,dicit.ſed niſi ipſa eius Scholia in manus ſumam, illa proferre non poſſum. ANT. Illa igitur in manus ſume. P. Exponens quendam eiuſdem locum, in epiſtola cuius initium eſt, *Etſi de rep. quæ tibi ſcribam habeo*:hūc inquam, *totum Sempronium uſque eo perago ut Veſtorium quoque interponam, & illam fabulam narrem, quemadmodum tibi pro beneficio dederit ſiquid iniuriis ſuis eſſet, quod Veſtorius teneret*,Si ex his verbis (inquit) aliquā omnino cogar elicere ſententiam,interpretabor hoc modo, Tibi pro beneficio dedit,ſiquid eſſet iniuriis ſuis,id eſt, ſiquid eſſet ſuo damno ſuáque iniuria quod Veſtorius teneret. quaſi ademptum ſibi àliquid ac teneri à Veſtorio diceret,quod aliqua ejus iniuria fieret. nam vt Iniuria interdū ad-

uerbij loco ponimus, vt Iniuria facis hoc: ſic videtur pronomen addi poſſe, vt dicatur Iniuria mea facis hoc. quemadmodum Ingratiis,& Ingratiis tuis: item Merito,& Merito meo veteres dicebant. Eúmque ſermonem his verbis claudit, Paulo aſperius hoc eſt: aliquis dicet. Quis negat? verùm hanc aſperitatem Cœlius amauit. ANT. Cui verò perſuaſerit hoc Manutius Cœlium aſperitatem ſermonis amauiſſe? DI. Mihi quidem certè non facilè perſuaſerit. P. Sed ne his quidem contentus eſt. audi enim quę in alium eius locũ, (epiſtolæ cuius initium eſt, *Gratulor tibi affinitate uiri mediusfidius optimi*) ab eo ſcribãtur. In hunc inquam locum, *Transierant illuc ut ratio eſſet eius habenda qui neque exercitũ neque prouincias traderet*, poſtquam ſcripſit, hanc videri eſſe ſententiam, Tranſierant ſenatores in alia omnia. id eſt, probauerant Curionis interceſsionem, improbantes M. Marcelli ſententiam, tanquam ratione illius habenda qui neque exercitum neque prouincias traderet. Poſt quam hæc ſcripſit, inquam, hæc adiicit, Hoc, vt dixi, arbitror ſignificari: ſed addere verbum Neque contra veteres libros non audeo: niſi ſi, vt eſt omnino aſper durúſque Cœlij ſermo, ſcriptum ab eo putemus, *Qui exercitum neque prouincias traderet*, pro *Qui neque exercitum*

neque prouincias traderet: vt Neq; tã ad exercitum quàm ad prouincias referatur. AN. Miror valde non puduiſſe Manutium hoc de Cœlij ſermone ſuſpicari, quod alium vel de Apuleij ſermone ſuſpicari puduiſſet. etenim ne ipſi quidém poetæ, quos ſuorum numerorum lex duriores interdum quàm vellent eſſe cogit, ita loquerentur. D. Ego verò neſcio quam maleuolentiam cum iſta obtrectatione coniũctam cernere mihi videor. AN. Talis quidem certè obtrectatio aliquem ab epiſtolarum Cœlij lectione deterrere poſſet. Atqui nondum præcipuam eius duritiem audiſtis, quæ illi ab eodem obiicitur. AN. Vereor ne ſi vlterius progrediaris, miſerum illum Cœlium, nõ tantùm durum ſcriptorem, ſed planè ferreum eſſe audiamus. Audiamus tamen quicquid ſit. PAV. Imò verò audiendus primùm eſt ipſius Cœlii locus, ex epiſtola quarta, *Qua in re mihi uidetur illud perquàm uenuſtè cecidiſſe, quod à reliquis quoq; uſque eò eſt animaduerſum, ut* Curio, *qui nihil conſilio facit, ratione & inſidiis uſus uideretur in euitandis his conſiliis qui ſe intenderant aduerſarios in eius tribunatũ.* A. Quidnam igitur ille hunc in locum annotat? PAV. Quum ſequatur *qui*, rectius videretur *eorum conſiliis*. Quid agas? Cœlianum eſt. Similiter dixit in proxima epiſtola, Eorũ

odia quæ Hirrum *premunt*: pro, *qui* Hirrũ *premunt*. D I. Si tali ſermone vſus eſſet Cœlius, non dignus tantùm eſſet qui ferreus ſcriptor appellaretur (vt Attilium vocabat Licinius;) ſed dignus cui ferreæ compedes impingerentur, atq; in illis tantiſper teneretur dum non ſolùm duritiem illam ſed barbariem etiam depoſuiſſet. P A V. Imò ſolœciſmi potius quàm barbariſmi illi obiiciũtur. A N. Siue barbariſmi, ſiue ſolœciſmi dici talia debeant, nónne vis Paule patrocinium eius ſuſcipiamus? P A V. Longum eſſet illos omnes locos examinare, & quæ de iis dicuntur refellere, aut ſaltẽ aliquid aduerſus ea opponere. A N T. At poſtremum ſaltem locum excutiamus, nec ita inhonoratum abire Cœlium patiamur. P A V. Me lubente hoc fiet. A N T. *Non multum* M. O*ctauius eorum odia quæ* Hirrum *premunt*, (*quæ permulta ſunt*) *ſubleuat*. Cur non dici poſſunt odia etiam aliquem premere? P A V. Verùm ſi ita intelligas, illo pronomine *eorum* quid fiet? hoc enim reſpondebit Manutius. A N. Simul verò intelligo, *eorum* de quibus loquutus eſt. P. Atqui nullos inuenies. non enim de pluribus, ſed de vno tãtùm loquutus eſt. ac ne illud quidem dici poſſe videtur, illum de vno paulo pòſt in multitudinis numero loqui. D I. Sed cur Manutius

non potius ſuſpicatus eſt, vitium illud *quæ* pro *qui*, librarij eſſe quàm ipſius Cœlij? ANT. Miror equidem. DI. Conſulamus, obſecro, aliquam ex vetuſtis editionibus typographicis. PAV. Badiana in promptu eſt. DIO. Eã conſulatur. PAV. *Non multum M. Octauius eorum odia qui Hirrum premunt, quæ permulta ſunt, ſublevat.* ANT. Euge: iam vno crimine Cœlium exonerauimus. Viſne Paule ad cætera pergamus? PAV. Imò in aliud tempus reſeruanda cenſeo. ANT. Hoc ſaltem ex te ſcire nunc cupio vnde ortam eſſe putes hanc Manutij in Cœlium maleuolẽtiam. PAV. Non aliunde ortam eſſe hanc ſuſpicor (ſi tam ẽ appellanda maleuolentia eſt) quàm ex quorũdam illius locorum obſcuritate quæ illum mirum in modum torſerit. DI. Si verum hoc non eſt, at eſt veriſimile. ANT. Queritúrne de Cœlij ſolius aſperitate? PAV. Alicubi eandem Aſinio Pollioni obiicit. In hunc enim eius locum (epiſtola quæ eſt XXXI, libri decimi) *Nam de legione trigeſima tradenda quantas contentiones habuerim quid ego ſcribam?* annotat, ſi cõciones (vt legi teſtatur in omnibus ſuis antiquis libris) ſcribatur, interpretari oportere vehementes literas, quales conciones ad populum vel ad milites ſunt. Atque his adiicit, Quod tamen paulo durius videtur.

nisi

niſi ſi ferendum in Aſinio, cuius orationem duram fuiſſe Tacitus autor eſt. D I. Vereor certè ne Aſinius nō tam durè loquutus ſit, quàm durè eius ſermo expoſitus. P A V. Eidem mirum quoddam verbum tribuit, ſua (vt ait) vetera exemplaria ſequutus. A N T. Quódnam id eſt? P. *Palmari*. D. Miror quæ eſſe poſsit verbi huius ſignificatio. P. More meo faciam vt priùs totum ipſius ſcriptoris locum recitem, quàm quicquam de illo pronuntiem. A N. Eum morem laudo: eúmque & hîc tenēdum tibi cenſeo. P. Ità igitur Aſinius Pollio in ſua epiſtola, quæ eſt X X X I I I, eiuſdem libri, *Neque ego non uidebam quanto uſui reip. eſſem futurus, ſi ad Lepidum ueniſſem: (omnem enim cunctationem eius diſcuſſiſſem, præſertim adiutore Planco) ſed ſcribenti ad me eiuſmodi literas, quas leges, & concionibus uidelicet, quas Narbone habuiſſe dicitur, ſimiles, palmare neceſſe erat, ſi uellem commeatum, per prouinciam eius iter faciens, habere.* Nunc, quid de hoc verbo ſcribat Manutius audiendum eſt. Sic video (inquit) eſſe in omnibus antiquis libris: & ita ſcriptum arbitror à Pollione. nam licet hoc verbū alibi fortaſſe nuſquā reperiatur, non tamen ideò reiiciendum videtur: quum eiuſdem generis alia quoque ſint. quòd ſi, quæ ſemel tantùm dicta nobis occurrunt, ea mutare tam-

quam corrupta, & vſitata reſtituere conabimur: Latinã linguam, quæ paucis omnino libris conſeruata, vix ad ætatem noſtrã peruenit, maiorem ad inopiam redigemus, maléque merebimur de ſtudiis literarum. Palmari puto idem eſſe quod Palpari, id eſt adulari. palma enim blandimur item vt palpo. AN. Nunc & tuam de hac lectione ſententiam nobis expone. PAV. Ea lege id faciam, vt veſtrûm vterque viciſsim de eodem quod ſentit dicat. Potius equidem *palparer*, quàm *palmarer*, ſcriptum à Pollione fuiſſe crediderim. primùm quòd verbi Palmare (nam hæc vox actiua reperitur) aliæ ſint ſignificationes, quæ nihil cũ illa verbi Palpari ſignificatione cõmune habent: atque adeo compoſitũ Depalmare non ſolùm aliud quàm Palpari, ſed aliud etiam quàm ſimplex Palmare declaret: deinde (cũius rei ipſe Manutius fortaſſe habẽdam eſſe rationem non negaſſet) quoniam alioqui non is eſſe videtur Aſinij Pollionis ſtylus qui vel nouitatis vel raritatis in ſuo ſermone amatorem eum fuiſſe oſtendat. Præſertim verò in hac voce ridiculè φιλόκαινος fuiſſet ſi quum vſitatam vocem *Palpari* in prõptu haberet, vnica litera mutata, longè petitam vocem, & quam ab Euandri matre mutuatũ illum eſſe iocari quiſpiam poſſet,

afferre dici maluiſſet. Alioqui Manutio aſſentior de eo quod dicit, non ideo reiiciendum aliquod verbum quòd alibi nuſquam reperiatur. Probo etiam quam addit rationem: quòd, ſi quæ ſemel tantùm dicta nobis occurrunt, ea mutare tãquam corrupta, & vſitata reſtituere conabimur, Latinam linguam, quæ paucis omnino libris conſeruata, vix ad ætatem noſtram peruenit, maiorem ad inopiam redigemus, maléque merebimur de ſtudiis literarum. Hæc alioqui probo, inquam: & vellem iſtis tumultuariis emendatoribus in mentem ſemper venirent. AN. At ne ipſi quidem Manutio, quoties aliquem locum emendaret, veniſſe in mentem exiſtimo. DI. Sed vtitúrne verbo Reſtituere ipſe Manutius eo quo tu modo vſus es? quum dixiſti, Ea mutare tanquã corrupta, & vſitata reſtituere. Potius enim (meo quidem iudicio) dicendum ibi eſſet Subſtituere quàm Reſtituere. PAV. Puto me fideliter cùm alia eius verba tum etiam hoc vobis recitaſſe: ſed tamen ipſum locum adeamus. ANT. Egó quoque verbo Subſtituere, non Reſtituere, ibi vtendũ cenſerem. P. Videtis tamen ſic ab eo ſcriptum eſſe. AN. At ille viderit quàm aptè illo compoſito vſus ſit. Ad verbum autem Palmarer quod attinet, miror, Manutium,

antequam illud defenderet, non ea cogitaſſe quæ paulo antè de verbis Palmare & Depalmare dixiſti. DI. Interim verò aſperitatis in ſermone ſocium habet Aſiniũ Pollionem Cœlius, ipſius Manutij iudicio. A. Miror equidẽ adeo illi ſermonẽ Cœlij diſplicere. DIO. Hoc quoque Ciceronianis inſitum eſſe debet, eorum etiam qui Ciceronis ætate vixerunt, ſermonem floccifacere; ac ſuas aures illius vel aſperitate vel obſcuritate vel alio quopiam vitio offendi dicere. ANT. Ea re (vt opinor) à Ciceronis manibus inire gratiã volunt. D. Sed quódnam eſt Pauli Manutii de ſermone filij Ciceronis iudicium? P. Omnino (inquit) mirari ſatis non poſſum, non modò ab elegantiã & copia ſed interdum etiam à proprietate paterni ſermonis longè diſtare orationem filij: quod voluntatis potius quàm naturæ vitium eſſe arbitror. A. Iuſtius profectò de illius quàm de aliùs cuiuſquam ſermone queri videtur Manutius: quinetiam Q. Ciceronis ſermo, pleriſque in locis cum fratris ſermone collatus haud mirer ſi Manutij delicatas aures radat.

PAV. QVID SI VERO quædam in Ciceroniano ſermone Ciceronianis oſtendam, quæ niſi Pſeudociceronis, non autem Ciceronis, eſſe fateantur, nihil minus quàm

ſui ſimilẽ(ne quid grauius dicã)ſuũ eſſe Ciceronẽ fateri cogentur? A. Aliqui ſunt igitur loci quorũ emendationem ab aliis prętermiſſam exiſtimas. P. Sunt ſanè. AN. Tu verò an hoc tibi ſumis vt eos emendes? P. Hoc tãtum, vt aliquos eorũ emẽdare coner. DI. Macte animi Paule. A. Ego verò acclamabo, Macte iſta virtute. P. Sed vos mihi opẽ veſtrã non denegaturos promittite. D. Ad me quidem quod attinet, promittam quicquid voles: ſed memento dicti illius, *Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.* PAV. Magis Antonio tacenti quàm tibi talia loquenti confido. AN. Nec verò tua te ſpes fruſtrabitur. Non vis autem (vt opinor) vllum eorum proferre vel vocabulorum vel loquẽdi generum quæ antea protuliſti. Alioqui ipſemet vel vnam illam vocem Ignotus, pro eo qui non nouit, quam Manutius quoque apud Ciceronẽ admittit, non minus quàuis Cœliana duram eſſe dicerem. P. Non equidem de vllo eorum loqui volo quorum iam facta fuit mentio, ſed de quibuſdam aliis, quæ non video quomodò vt editionum typographicarum conſenſu ita etiam ratione defendi poſsint. AN. Video te cogitare vnde tibi ſumẽdum ſit initium: ſed de hac re tibi laborandum non eſt. P. Incipiam igitur à quodam loquẽdi genere

quod extat libro ſeptimo, in epiſtola quadã ad Curionem, *maximo meo beneficio eſt.* AN. Nihílne addis? P. Nefas eſſe putant quicquam addere. Sed locum in illa epiſtola videamus. *Acillius, qui in Græciam cum legionibus miſſus eſt, maximo meo beneficio eſt. bis enim eſt à me iudicio capitis, rebus ſaluis, defenſus: & eſt homo non ingratus, méque uehementer obſeruat.* ANT. Tibi profectò aſſentiar de aſperitate huius loquendi generis conquerenti. DI. Ego quoq; inter dura atque aſpera numerandum eſſe fatebor. ANT. Quid verò hîc Manutius? PAV. Vult accipi Eſt pro Viuit. A. Hac expoſitione nõ molliri mihi videtur illud loquẽdi genus, ſed potius durius reddi. PAV. Sed optionem dat nobis Manutius, vt vel illo modo exponamus, vel hoc, Maximum à me beneficium habet. vt (inquit) quum dicitur, *ſummo ingenio eſt.* & epiſtola tertia libri tertij ad Quintum fratrẽ, *Cicero tuus noſterque ſummo ſtudio eſt Pæonij ſui rhetoris.* ANT. Niſi hæc meis oculis intuerer ita ſcripta, credere minimè poſſem Manutium, tantum virum, iſta genera loquendi tanquam illi ſimilia attuliſſe. P. Lectorum quidem credulitati, hâc ad rem quod attinet, diffidebat: ideóque addidit, Quæ ſiquis diuerſa iudicat, accipiat Eſt pro Viuit. Locum certè ſimillimũ qui hunc ma-

ximè confirmat, oſtendemus. nam Philipp. VIII, ita dixit Cicero, *Negat ſe illi amicum eſſe debere: cum ſuo magno eſſet beneficio, ueniſſe eum contra ſe.* DI. Ne ipſe quidem probare poſſum, illud Eſt exponi Viuit: ſed quòd locum hunc illi ſimillimum eſſe dicit, hoc verò nō video quî negari poſsit. PAV. Videndum eſt, an hic locus quem ex illa oratione affert, ita in omnibus editionibus legatur. DI. Quid ſi ita ſcriptum in omnibus inuenias? ANT. Ego locum hunc illi ſimillimum eſſe fatebor, id eſt, modo ſimillimo deprauatū. Sed aliquam ex minus recētibus conſulamus, antequam plura de illo diſſeramus. DI. Ita faciundum cenſeo. P. Duas iam conſului, quæ non habent *eſſet*: ſed hæc tantùm verba, *cum ſuo magno beneficio ueniſſe eum contra ſe.* DIO. Fuerit igitur in poſterioribus editionibus adiectum verbū *eſſet*. P. Dubium profectò eſſe hoc non debet: ac fieri poteſt vt in aliquo vetere libro ſit inuentum, deinde autoritate loci illius epiſtolæ cum hoc collati, comprobatum. A. Vide igitur Gabrielis Faërni editionem. P. Video, in hac illam eſſe lectionem quæ affertur à Manutio. A. Vide quid de ea in Annotationibus dicat Faërnus. P. *Cum ſuo magno beneficio.* Ante vltimam vocem interpone ex antiquo libro verbum *eſſet*. vt ab-

m. iiij.

ſolutè legas, *cum ſuo magno eſſet beneficio*: pro eo quod eſt, Cùm ab ſe haberet magnũ beneficium. vel, Cùm ſuo magno beneficio viueret. Cicero libro epiſtularum (ita enim ibi ſcriptum eſt) ad Mariũ, *Acilius qui in Græciã*, &c. Eſt enim ille ipſe locus de quo nũc agimus. ANT. Video Manutium ſuas illas expoſitiones hinc mutuatũ eſſe: ideóque nõ duorum ſed vnius duntaxat autoritate illas niti dicendum eſt. Sed cur te interpoſitum verbum *eſſet* offendit? P. Haud me offenderit, ſi quædam particula ſimul interponatur. A. Quænam illa eſt? P. Particula *in*. vt ſcribatur hoc modo, *Cùm in magno meo beneficio eſſet*. A. Sic igitur & in illo epiſtolę loco legendum exiſtimas, *in maximo meo beneficio eſt*. P. Etiam. AN. Non reformidas huius generis loquẽdi inſolentiam? P. Reformidarem, niſi alterum illud, inſolẽs pariter eſſet, & non pariter ratione aliqua niteretur. AN. Qua ratione niti dicis? P. Analogiæ autoritate, quoniam inter hæc duo, In ære meo eſt, In beneficio meo eſt, aliqua eſſe analogia videtur. DIO. Sed quum ſcripſit Manutius ſimilia hęc eſſe, Maximo meo beneficio eſt, Summo ingenio eſt, nõ dubium eſt quin aliquam & ipſe inter hæc analogiã ſomniauerit. Viderit Manutius quomodo hanc ſuam analogiam tueri poſſit, ego do

tuenda mea non laboro. AN. Sed Faernus *eſſet* quidem in vno veteri libro inuenit, illam præpoſitionem *in* non item. P. Nullam eius mentionem ab eo fieri fateor: ſiue hæc ibi non fuerit, ſiue oculos eius fefellerit. Quum enim multa eorum quæ ſunt in vetuſtis exemplaribus fallant illorum oculos qui ea cũ excuſis conferũt, (quod Lãbino in quibuſdam epiſtolarũ ad Atticũ locis contigiſſe animaduerti, de quibus illum admonui) non incredibile fuerit, Faerno in duabus literulis id vſuueniſſe. Nam illum voculam iſtam, tãquam ſuperuacaneã, contempſiſſe, dicere minimè auſim, quũ religioſiſsimè in eo negotio verſatũ eſſe ſciã. Nec verò noua fuerit poſt voculam *tum* particulæ *in* prætermiſſio. ANT. Atqui quod de hoc loco, idem & de altero dicendũ fuerit. P. Imò de altero magis ſum ſecurus. A. Quid ita? P. Quoniam ſi mea coniectura ibi non recipiatur, ad priorum editionum autoritatẽ confugiam, quæ habent, *maximo meo beneficio affectus eſt.* A. Si verò nec in illo Philippicæ octauę loco admittatur, maleſne & ibi priores illas editiones ſequi? Maximè. AN. Sed quomodo expones? PAV. *Cum ſub magno beneficio ueniſſe eum contra ſe,* exponam, Accepto à ſe magno beneficio. & dicam perinde eſſe, ac ſi quiſpiam ita lo-

queretur, Magna beneficia Dionyſius à me accepit,ſed cũ illis omnib⁹ cõtra me venit. Durũ tamẽ eſſe hoc fateor, ſed minus durũ quàm illud,Maximo meo beneficio eſt,pro Maximũ à me beneficiũ accepit, vel,habet. ANT. Sed qui fit,obſecro, vt quum in illo epiſtolæ loco antiquiores editiones habeant, *maximo meo beneficio affectus eſt*,derogata illis fide, illud tam inſolens támq; periculoſum loquendi genus ſubſtituatur? P. Ne ipſe quidem mirari ſatis poſſum. nam ſi autoritatẽ ſuorũ veterũ librorũ alleget Manutius,ab illis viciſsim ſuorum autoritas allegabitur. Et hac quidem in re pares erunt: ſed in eo ſuperiores erunt illi quòd exẽpla poterunt adijcere, quibus autoritati ſuorũ pondus addant. D. Sed exempla illa ſúntne eiuſmodi de quibus ambigi non poſsit? PAV. Sunt communi exemplarium vtrinque conſenſu comprobata. DI. Minimè igitur ambigi de illis poteſt. verùm & hoc ſcire velim,an pluribus in locis illo genere loquẽdi vtatur. PAV. Quum dixi non exẽplum, ſed exẽpla, pluribus in locis eum ita loqui indicaui, rogo tamen vos vt vno atque altero ex hoc ipſo epiſtolarum opere petitis contenti ſitis. DI. Contenti erimus. PAV. Vnum eſt epiſt. XIIII, libri X, Planco ſcripta, *Quod ſi erit factum, & remp. diui-*

no beneficio affeceris, & ipſe æternam gloriam conſequêre. Alterum autem exemplum, multo etiam quàm hoc eſt aptius: quoniam vt in loco illo de quo mota controuerſia eſt, legitur, *maximo meo beneficio affectus eſt*, in prioribus editionibus typographicis: ita in principio epiſtolæ quartæ libri decimitertij, *magno enim meo beneficio affecti*, legitur: neque iam paucarum, ſed omnium editionum conſenſu: vna Lambini excepta, Pariſienſi inquam illa, cuius à me facta ſæpe fuit mentio. D. Quid verò hoc in loco immutauit? an participium illud ſuſtulit? PAV. Nequaquam: ſed ex *meo* fecit *à me*; ita ſcribens, *magno enim à me beneficio affecti*. ANT. Ego tamen talem pronominis poſſeſsiui vſum in aliis etiam loquendi generibus videor mihi apud hunc ipſum ſcriptorem animaduertiſſe. DI. Satis multis agitatus eſt ſermonibus ille ſeptimi libri locus. AN. Vel potius exagitatus. PAV. Video vos cupere vt ad alium tranſeam: & ſponte iam id facturus eram. Cogitabam enim de alio quodam loquendi genere in quo eadem illa particula deſiderari videtur: ſed non idē illi generi loquēdi contigit quod ei de quo diſſeruimus, vt ego primus ita ipſum explēdum eſſe ſuſpicatus ſim. ANT. Quod illud eſt? PAV. *Quanto fuerim dolore*, abſque par-

ticula *in*. ANT. Quota cuius libri epiſtola locũ illum habet? PAV. Quarta libri ſexti. *Etſi meipſum conſolatorem tuum non tantum litteræ, quibus ſemper ſtudui, quantum longinquitas temporis mitigauit. Quanto fuerim dolore; meminiſti. in quo prima illa conſolatio eſt, vidiſſe me plus quàm cæteros.* AN. Sed non te primum particulam *in* deſiderari ſuſpicatum eſſe dicis. P. Nõ dico. nam & Lambinus ante me idem ſuſpicatus erat: vt comperi quum hac ipſa de re illius editionem conſulerem. Ibi enim inueni *quanto fuerim in dolore.* ANT. Vlterius igitur quàm tu Lambinus progreſſus eſt. quippe qui hoc non tantum ſuſpicatus ſit, ſed omnino ſibi perſuaſerit. PAV. Ita ſe res habet. & quanuis eadem mihi ſit illo de loco ſiue ſuſpicio ſiue opinio quę antea, nec Manutius deducere me de ea potuerit, ſi tamen non alia rę quàm ſuo iudicio fretus Lambinus voculam illam inſeruit, eius hoc in loco non minus quàm in alijs quamplurimis damno audaciam. DI. Quæ verò ſunt illa Manutij ſuper hoc loco, quæ te nõ potuiſſe ais de tua ſententia deducere? Non auſim enim dicere, De opinione deducere, vt tu loquutus es. P. Offendi ſcio (inquit) Latinæ linguæ rudes hoc loquendi genere; quaſi mendoſum ſit, *Quanto fuerim dolore*, ſincerum autem, *Quanto fue-*

rim in dolore: quia ſcilicet non dicatur, Ego ſum lætitia, ſed, Ego ſum in lætitia. Aptè vero & appoſitè. quis enim hoc negat, Ego ſum lætitia, dolore, ſpe, Latinè non dici? at illud quis negare poteſt, Ego ſum magna lætitia, magno dolore, magna ſpe, rectè & eleganter dici? Hæc Manutius. AN. Quid? an nullum ad probanda quæ dixit, exemplum affert? PAV. Nullum. ANT. Mihi igitur nihil aliud quàm illud αὐτὸς ἔφα, cuius à nobis facta fuit antea mẽtio, audire videor. P. Paucula verba omiſi quibus illum ſermonem claudit, hæc inquam; Diſcant igitur vti ſimilibus exemplis, vbi refellere aliquid aut probare conantur: nec tàm facilè conſenſum, autoritatémq; veterũm omniũ librorum contemnant. ANT. Nihilo magis in his vllum exemplum quo id probet affert: ac ne aſſequor quidem ſatis quid velit, quum dicit, Diſcant igitur vti ſimilibus exemplis, vbi refellere aliquid aut probare conantur: quum illa, Ego ſum magna lætitia, magna ſpe, omnino ἀμάρτυρα reliquerit, illud verò, Ego ſum magnó doloré, cõtrouerſum ſit. Præterea mirum eſt illum velle ſimilibus exemplis aliquid vel refelli vel probari. PAV. Non eſt ſanè operæpretium in quærendo illorum verborum ſenſu diutius immorari: præſertim quum parum fru-

ctus inde ſimus reportaturi. Neque aliud quicquam nos mouere debet quàm vltima illa clauſula, Nec tam facilè conſenſum autoritatémque veterum omnium librorum contemnant. DI. Te quoque igitur, Paule, mouere hæc debẽt. neque enim (opinor) vis conſenſus autoritatiſq; veterum omniũ librorum contémptor appellari. P. Abſit vt hoc nomine appeller. DI. Quid igitur ad illa reſpondes? PAV. Primùm, non debuiſſe Manutium eorum quos cõſuluit aut quos amici eius conſuluerint librorum cõſenſum, vocare omnium librorum conſenſum. Deinde, alibi apud eundem ſcriptoré inueniri eidem loquendi generi adhibitam illam voculam in, non abſque conſenſu (vt veriſimile eſt) etiam illorum ipſorum exemplarium quæ eam hîc non habeant. Poſtremò, hanc particulam in multis ſimilibus loquendi generibus inueniri: quum dicatur Eſſe in mœrore, Eſſe in luctu, potius quàm Eſſe mœrore, Eſſe luctu. DI. Si vnicã rationẽ attuliſſes, ego patrocinari Manutio conatus fuiſſem, aliquid ei opponendo, aut ſaltem eam eleuãdo: nũc fateor me tot rationibus non premi ſolùm ſed etiam opprimi. PAV. Quid ſi igitur egomet in alteram partem diſputem, atque ex accuſatore defenſor fiam? AN. Caue ne poſtea præuari-

cator audias. DI. Imò non audies præuaricator, ex me quidem certé. PAV. Dico itaque pro Manutio facere quẽdam locum epiſtolarum ad Atticum. DIO. Malè ſit illi loco, qui laborãti Manutio ſuppetias nõ venerit. PAV. Is eſt in epiſt. ſexta lib. quarti, *Ego uerò, qui, ſi loquor de rep. quod oportet, inſanus: ſi, quod opus eſt, ſeruus exiſtimor: ſi taceo, oppreſſus & captus: quo dolore eſſe debeo? quo ſum ſcilicet. hoc etiã acriore, quòd ne dolere quidem poſſum, ut non ingratus uidear.* DI. Pulchrum ſanè defenſionis initium: pergé quo cœpiſti pede. PAV. Imò mihi idem contingit in hac Manutij defenſione quod cuidam apud Eubulum comicum: qui quum ſe fœminarum defenſorem aduerſus quoſdam genus omne peroſos fœmineum (cur enim Virgilianis non vtar verbis?) profeſſus eſſet, atque adeo patrocinium illarum ſuſcepiſſet, tandem vbi duas bonas duabus malis oppoſuit, bonas iã ſibi deeſſe fatetur quas allegare poſsit, contrà autem alias malas non eſſe tãtùm ſibi ſed etiam ſupereſſe. D. Locũ illũ comici ne nobis inuideto Paule. aptiſsimum enim fuerit iſtud huic noſtrę diſputationi, alioqui parum ſuaui, ἐπεισόδιον. A. Idẽ ego à te contendo, Paule. P. Ea lege recitabo vt ſi interim obliuiſcar quò eſſet deductus ſermo noſter, mihi in memoriam

reuocetis. AN. Accipimus conditionem:

Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', εἶγ' ἐγὼ κακῶς ποτε
Ἐρῶ γυναῖκας, νὴ Δί' ἀπολοίμην ἄρα,
Πάντων ἄριστον κτημάτων. εἰ δ' ἐγένετο
Κακὴ γυνὴ Μήδεια, Πηνελόπεια δὲ,
Μέγα πρᾶγμ'. ἐρεῖ τις ὡς Κλυταιμνήστρα κακή;
Ἄλκηστιν ἀντέθηκα χρηστήν. ἀλλ' ἴσως
Φαίδραν ἐρεῖ κακῶς τις· ἀλλὰ νὴ Δία
Χρηστή τις ἦν μέντοι. τίς εἰμὶ δείλαιος·
Ταχέως γέ μ' αἱ χρησταὶ γυναῖκες ἐπέλιπον;
Τῶν δ' αὖ πονηρῶν ἔτι λέγειν πολλὰς ἔχω.

DI. Eoſdem verſus lubenter Latinè redditos legerem. PAV. Tu tibi & nobis illos redde, qui in multis aliis id præſtitiſti. DI. Id nunc à me exigendum non eſt. PAV. Ne à me quidem. AN. Hanc litem facilè dirimam. indicabo enim vbi eorum interpretationem ſitis inuenturi. D. Vbinam? A. In libello Henrici Stephani, qui inſcriptus eſt *Comicorum Græcorum ſententiæ*. PAV. Statim igitur illã vobis ſuppeditabo. Tu Dionyſi illos verſus recita.

D. Malam ſupreme Iuppiter peſtem oppetam,
Verbis mulieres proſequar ſi unquam malis,
Poſſeſſionem mulieres longè optimam.
Medea ſeſe, fateor, improbè gerit,
Penelopam habes uirtute laudatiſſimam:
Mala eſt Clytæmneſtra? eſt at Alceſtis proba.
Phædrámne damnas? aliam ei opponam probã.

Quid

Quid heu miſer faciam? ecce, iam deſunt bonæ,
Quum tot malarum millia in promptu ſient.

A. Iam verò Paule expone nobis cur tibi idẽ quod iſti dicas cõtingere in defenſione Manutij. P. Quia vnico qui pro eo faciat loco allato, alii ἐπιλείπουσιν (vt ipſius comici verbo vtar) at eorum qui illi aduerſantur, -ἔτι λέγειν πολλοὺς ἔχω. Sed quum paſsim occurrãt, nihil neceſſe videtur eos afferre. Paſſim enim leguntur iſta, *In mœrore eſſe*, *In dolore eſſe*, *In luctu eſſe*. Itidémque *In ſqualore eſſe* dicitur: & *In ſqualore & luctu eſſe*, in epiſtola Metelli. Quinetiam *In lacrymis eſſe* alicubi me legere memini. A. Miror an Manutius perſuadere nobis voluiſſet, Ciceronianè dici itidem poſſe, *Eſſe mœrore*, *Eſſe luctu*, &c. vel, *Eſſe magno mœrore*, *Eſſe magno luctu*. P. Hęc dici poſſe ait, ſed illa nõ itẽ. D I. Ille ſaltẽ locus epiſtolæ ad Atticũ aliquãtũ eius cauſam adiuuat, *quo dolore eſſe debeo?* A. Sed quis præſtabit ſcriptũ ita fuiſſe à Cicerone? non autẽ, *in quo dolore*, vel, *quo in dolore*. Quòd ſi etiam daremus, ita eum ſcripſiſſe, videtur tamen neſcio quomodo tolerabilior in huiuſmodi loco præpoſitionis ellipſis. P. Vt videatis quàm bona fide Manutium velim defendere, addam exemplũ illius ellipſeωs quod mihi nunc primùm in mentem venit, ex Cœlio initio cuiuſdam

epiſtolæ, *Qua tu cura ſis,quod ad pacem prouinciæ tuæ finitimarumque regionum attinet.* A. Non multũ prodeſſe poteſt Manutio hoc exemplum: primùm quòd videatur poſſe magis ferri Magna cura eſſe, pro In magna cura eſſe, quàm Magno dolore eſſe: deinde quòd ex Cicerone nõ ſit, ſed ex eo ſcriptore cui adeo ſermonis aſperitatem obiicit ipſemet Manutius vt vix pro Latino habere videatur. D. At mihi iam ſuccurrit aliquid quod Manutii cauſam ſubleuare poteſt: nimirum iſtud loquendi genus apud Terentium, Eunucho,

Ille ubi miſer, famelicus, uidet me eſſe tanto honore,
Et tam facilè uictum quærere,&c.

A. Vide ne in Manutij gratiam nobis coneris imponere. ſcio enim & aliã ibi lectione eſſe. Et verò fidem tibi non habebo, ſed locum adibo. P. Ego quoque locum illum aliter ſcriptum legiſſe mihi videor: quòd ſi tamen vno hoc modo ſcriptus extaret, parum aut etiam nihil Manutio patrocinaretur. A. Aſpice aliam ſcripturam, bone vir, *uidet me eſſe in tanto honore.* Leguntur verò & accuſatiui, non ablatiui, in quibuſdam libris: ſed cum præpoſitione itidem, *uidet me eſſe in tantum honorem.* In qua lectione redeo in memoriam cuiuſdam loquendi ge-

neris, *In poteſtatem eſſe*, pro In poteſtate eſſe, quod Gellius ex Cicerone affert. A. Etiã ſi nulla eſſet alia loci illius ſcriptura quàm quæ à te allata eſt Dionyſi, minimè tamen Manutio patrocinaretur (vt etiam à Paulo dictum eſt) quum nulla ſit inter hoc loquendi genus & alterum illud analogia. P. Vt tandem huic de loco illo epiſt. III, lib. VI, finis imponatur, ſi certa incertis cõmutãda ne in ſermone quidẽ ſunt, multo ſaltẽ tutius eſſe dico ita loqui, Eſſe in dolore, Eſſe in mœrore, quàm Eſſe dolore, Eſſe mœrore. Idem autem mihi placere intelligitis, & vbi alij eiuſdem generis ablatiui adhibẽtur: cuiuſmodi ſunt illi, Luctu, Lacrymis, Squalore. DI. At mihi tamen negare non auſis, Paule, ſæpe omitti hanc præpoſitionẽ *in*. PAV. Nolim certè hoc negare: ſed quid hoc ad rem, ſi in quamplurimis aliis loquẽdi generibus ſubaudiatur quæ aut nullam aut paruam cum hoc affinitatem habeant? Fateor alioqui,

Conſcriptum lacrymis mittis epiſtolium,

(vbi nõ minus *in* quàm *cum* ſubaudiri poſſe dixerit fortaſſe quiſpiam: licet hanc præpoſitionẽ ipſe ſubaudiendam potius quàm illam iudicem) apud Catullum legi: fateor apud Tibullum legi *tenebris*, & ſtatim poſt *in tenebris*, eadem ſignificatione,

En ego quum tenebris tota uagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit eſſe Venus.

Fateor (inquam) in aliis multis & horum & aliorum poetarum locis hanc præpoſitionẽ ſubaudiendam (vt loquuntur grammatici) relinqui. DI. Sed cur poetarum mentionẽ facis, quũ huius ἐνδείας multa etiam apud ſolutæ orationis ſcriptores exempla occurrant? PAV. Non tantùm quòd apud illos certiora ſint huius rei quàm apud hos excẽpla: (quum plerunque, videntes eam particulam de qua nunc agimus, non potuiſſe verſum ingredi, ex fide veterum exemplarium pẽdere non cogamur) ſed etiam quòd frequentiora, & quidem in nonnullis etiam locis vbi hi prætermittere illam auſi minimè fuiſſent. Quòd ſi ex ſoluta etiam oratione à me quæpiam afferri velis, non longè, ac ne ab illo quidem ipſo Epiſtolarum opere abeundum erit. Nam, vt omittã magis vulgaria, legimus *Secundis rebus* pro In ſecundis rebus, *ſed eſt unum perfugium, doctrina, ac literæ, quibus ſemper uſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uero etiam ſalutem.* Cui ſimile eſt *Aduerſis rebus*, pro In aduerſis rebus: (quo etiam modo dixit Horatius *Infeſtis & Secundis*, ſine adiectione illius ſubſtantiui, pro In aduerſis & In ſecundis: (*Sperat aduerſis, me-*

tuit ſecundis Alteram ſortem bene præparatum Pectus) Sic etiam *Ciuilibus bellis* pro In ciuilibus bellis, *Nec id uictoris uitio, quo nihil moderatius: ſed ipſius uictoriæ, quæ ciuilibus bellis ſemper eſt inſolens.* Interim tamẽ hoc addo, ex iis locis quibus non reperitur adiecta illa particula *in* nonnullos eſſe qui mihi non minus ſuſpecti ſint quàm ille qui nobis huius ſermonis occaſionem præbuit. Quorũ è numero eſt hic, in vltima libri quarti epiſtola, *Sed tamen etſi antea ſcripſi quæ exiſtimaui te ſcire oportere, tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui, ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe. in magno omnes, ſed tamen in cõmuni ſumus.* Atque hic videmus ſequi verbũ *eſſe*, ſicut in altero illo vbi *in* deeſſe itidẽ ſuſpicor loco: (vel potius ſicut in duobus illis: quũ etiam illum epiſtolæ ad Atticum locũ *quo dolore eſſe debeo*, ea ſuſpicione non carere dixerim) verùm alij etiam in quibus non ſequitur hoc verbum, in dubiũ vocari poſſunt. Inter quos nõ immeritò fortaſsis hic numerabitur, epiſtolæ XXII, libri XVI, *Tu iſthic, ſiquid librarij mea manu non intelligent, monſtrabis.* Vix enim, vt opinor, alibi, *Mea manu* (id eſt, in iis quæ mea manu ſcripta ſunt) pro *In mea manu*, in eiuſmodi loquendi genere dictum inuenietur. ANT. Diutius in iſtis vel illius vel alius particulæ

minutiis immorandum nõ cenſeo. P. Rem mihi gratam facis quòd meo de illis ſermoni finem iubes imponere. ANT. Sed hinc te ad aliud exemplorũ genus tranſire volo. P. Libétne à præpoſitione ad præpoſitionẽ, ſimúlq; ab vno vitio ad illud quod ei contrarium eſt tranſeam? ANT. Quanuis parũ illis delecter exẽplis in quibus de illis particulis agitur (quum ſint orationis velut minutiæ quædam, vt antea vocaui) teneor tamen id audiendi deſiderio de quo te dicere paratum eſſe ais: ideóque dubium tibi eſſe non debet quin me attentum & beneuolum auditorem ſim præbiturus. PAV. Nonne igitur recordaris, *Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus interpres*, ab Horatio dictum eſſe? ANT. Recordor; ſed quorſum hoc me rogas? PAV. Intelliges ſtatim, ſi reſpondere pergas ad ea quæ ex te quæram. ANT. Pergam. PAV. Putaſne minus Latinè loquuturum fuiſſe Horatium, ſi *uerbum pro uerbo reddere* dixiſſet? AN. Puto. P. Quid ſi Ciceroniani Ciceronem ita loquutum eſſe dicant? AN. Probent. PAV. Ego igitur illorum partes ſuſcipiens, hunc affero locum ex libro De optimo genere oratorum. *Conuerti enim ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe cõtrarias, Aeſchinis Demoſthenisque: nec conuerti*

ut interpres, ſed ut orator; ſententiis iiſdem, & earum formis, tanquã figuris, uerbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus non uerbum pro uerbo neceſſe habui reddere, ſed genus omniũ uerborum uimque ſeruaui. AN. Sed cur potius *uerbum pro uerbo reddere*, quàm *uerbum uerbo reddere*, eo in loco legam? P. Quid? ſi aliqui ex Ciceronianis vtranque ſcripturam inueniri fateantur, ſed illam, non hanc, Nizolio ſuo placuiſſe, ſibique itidem placere dicãt, an vel muſſare audebis? A. Quaſi verò Nizolio cũ illis ſim emãcipatus. P. Cenſes igitur eſſe illic pleonaſmũ prępoſitionis *pro*. A. Cẽſeo. P. Atqui nõ ſolùm *Par pari referre*, ſed etiam *Par pro pari referre*, dicitur, inquient illi. AN. Imò verò hîc quoque eũdem pleonaſmum eſſe exiſtimo. P. Sed intelligiſne, tam hîc quàm illic eſſe pleonaſmũ quo ipſi ſcriptori vti placuerit (ſcimus enim eos ſicut ellipſes quaſdam, ita etiam quoſdam pleonaſmos ſibi permiſiſſe) an qui ex librariorum aut aliorum errore natus ſit? AN. Hoc equidem non illud pleonaſmi genus intelligo. PAV. Verſum Terentij in auxilium ſuum aduocabunt,

Par pro pari referto, quod eam mordeat.

A. Incertum nimirum incerto probabunt. Quis enim ignorat aliter etiã legi hunc verſum, & abſq; illa particula *pro*? P. Atqui nõ

ſtabit verſus abſq; illa particula. A. Atqui cū illa non ſtabit Latinitas. D. L. Iampridē ego veſtras altercationes apud me rideo, ſimulque Ciceronianorum in quibuſdam timiditatem, in aliis audaciam irrideo. A N. Hic certè, ſi alibi vſquam, amplam riſus habemus materiam. P. Quid? non te mouebunt vetuſta exemplaria? A. Nihil me vllū vetus exemplar mouet, vbi ei fidem derogare me Latinitas monet. P. Sed Faërnus quoque ita in ſuis legi teſtatur. A N. Enecas. P. In Mureti quoque editione extat hæc lectio. A N. Enecas. P A V. Quinetiam apud Ciceronem in longa illa ad Lentulū epiſtola locus hic ita ſcribitur à Manutio. A N T. Enecas. P A V. At me enecat iſtum iſtud Enecas. A N T. An mauis, Græcè loquens ἀποκτείνεις dicam? P A V. Ego neque Latinè neque Græcè mihi iſtud à te velim obiici: ſed ad ea quæ propono reſponderi. A N T. Scio ne tibi quidem ipſi placere talem Latinitati iniuriam fieri: atque hoc à te non minus quàm à me poſſe reſponderi. P A V. Verùm hoc reſponſo contentus eſſe neſcirē, hoc ſi demum addiderim, vt illi ſua exemplaria allegant, ita nobis nō deeſſe quæ allegemus, & ex quibus liceat expleri verſus poſſe quàm interponendo illam præpoſitionem remouendo. D. pergat pax re-

ferto, quod eam mordeat. Addo etiam, illorum qui nunc *par pro pari referto* ſcribẽdum eſſe contendunt, ideo minoris ponderis eſſe teſtimonia, quòd inter ſe non conſentiant. Aiũt enim collapſurũ eſſe verſum niſi ſyllabæ vnius addatur ſuſtentaculum: hanc autẽ ſyllabã in veteribus libris eſſe voculam *pro*: ſed cur Muretus, veterum librorum itidem teſtimonio nitens, non tantùm addit *pro*, ſed *mordeat* etiam mutat in *remordeat*: Faërnus autem illam quidem præpoſitionem & ipſe ex vetuſtis (vt teſtatur) libris adiicit, ſed *mordeat* retinet mordicus, & ita vt ne vllam quidem verbi *remordeat* mẽtionem faciat? His & iſtud adiicio: quum à Cicerone verſus hic Terẽtianus vnà cum aliis afferatur, & conſenſum exemplarium Ciceronis non videamus accedere; cur non exemplaribus exemplaria opponemus? Hæc autem quum ita ſint, & quum (vt antea dixi) ne in ſermone quidem certa incertis mutanda ſint, ſicut *verbum uerbo reddere*, non *verbũ pro uerbo reddere*, ita *Par pari referre*, non *Par pro pari referre* dixerim. ᴅɪ. Verùm quum *Verbum uerbo reddere* dices, recentiores editiones potius ſequeris: at quum *Par pari referre*, eas potius quæ ſunt vetuſtiores. ᴘᴀᴠʟ. Ita ſe res habet. ᴅɪ. Magno igitur opus eſt iudicio, vt harum vel illarum edi-

ticula *m.* ANT. Quota cuius libri epiſtola locũ illum habet? PAV. Quarta libri ſexti. *Etſi meipſum conſolatorem tuum non tantum litteræ, quibus ſemper ſtudui, quantum longinquitas temporis mitigauit. Quanto fuerim dolore; meminiſti. in quo prima illa conſolatio eſt, uidiſſe me plus quàm cæteros.* AN. Sed non te primum particulam *in* deſiderari ſuſpicatum eſſe dicis. P. Nõ dico, nam & Lambinus ante me idem ſuſpicatus erat: vt comperi quum hac ipſa de re illius editionem conſulerem. Ibi enim inueni *quanto fuerim in dolore.* ANT. Vlterius igitur quàm tu Lambinus progreſſus eſt. quippe qui hoc non tantum ſuſpicatus ſit, ſed omnino ſibi perſuaſerit. PAV. Ita ſe res habet. & quanuis eadem mihi ſit illo de loco ſiue ſuſpicio ſiue opinio quę antea, nec Manutius deducere me de ea potuerit, ſi tamen non alia re quàm ſuo iudicio fretus Lambinus voculam illam inſeruit, eius hoc in loco non minus quàm in aliis quamplurimis damno audaciam. DI. Quæ verò ſunt illa Manutij ſuper hoc loco, quæ te nõ potuiſſe ais de tua ſententia deducere? Non auſim enim dicere, De opinione deducere, vt tu loquutus es. P. Offendi ſcio (inquit) Latinæ linguæ rudes hoc loquendi genere: quaſi mendoſum ſit, *Quãto fuerim dolore*, ſincerum autem, *Quanto fue-*

rim in dolore: quia ſcilicet non dicatur, Ego ſum lætitia, ſed, Ego ſum in lætitia. Aptè verò & appoſitè, quis enim hoc negat? Ego ſum lætitia, dolore, ſpe, Latinè non dici? at illud quis negare poteſt, Ego ſum magna lætitia, magno dolore, magna ſpe, rectè & eleganter dici? Hæc Manutius. AN. Quid? an nullum ad probanda quæ dixit, exemplum affert? PAV. Nullum. ANT. Mihi igitur nihil aliud quàm illud αὐτὸς ἔφα, cuius à nobis facta fuit antea mētio, audire videor. P. Paucula verba omiſi quibus illum ſermonem claudit: hæc inquam; Diſcant igitur vti ſimilibus exemplis, vbi refellere aliquid aut probare conantur: nec tam facilè conſenſum autoritatémq; veterum omniū librorum contemnant. ANT. Nihilo magis in his vllum exemplum quo id probet affert: ac ne aſſequor quidem ſatis quid velit, quum dicit, Diſcant igitur vti ſimilibus exemplis, vbi refellere aliquid aut probare conantur: quum illa, Ego ſum magna lætitia, magna ſpe, omnino ἀμάρτυρα reliquerit: illud verò, Ego ſum magnò dolore, cōtrouerſum fit. Præterea mirum eſt illum velle ſimilibus exemplis aliquid vel refelli vel probari. PAV. Non eſt ſanè operæpretium in quærendo illorum verborum ſenſu diutius immorari: præſertim quum parum fru-

ctus inde ſimus reportaturi. Neque aliud quicquam nos mouere debet quàm vltima illa clauſula, Nec tam facilè conſenſum autoritatémque veterum omnium librorum contemnant. DI. Te quoque igitur, Paule, mouere hæc debēt. neque enim (opinor) vis conſenſus autoritatíſq; veterum omniū librorum contemptor appellari. P. Abſit vt hoc nomine appeller. DI. Quid igitur ad illa reſpondes? PAV. Primùm, non debuiſſe Manutium eorum quos cōſuluit aut quos amici eius conſuluerint librorum cōſenſum, vocare omnium librorum conſenſum. Deinde, alibi apud eundem ſcriptorē inueniri eidem loquendi generi adhibitam illam voculam in, non abſque conſenſu (vt veriſimile eſt) etiam illorum ipſorum exemplarium quæ eam hîc non habeant. Poſtremò, hanc particulam in multis ſimilibus loquendi generibus inueniri: quum dicatur Eſſe in mœrore, Eſſe in luctu, potius quàm Eſſe mœrore, Eſſe luctu. DI. Si vnicā rationē attuliſſes, ego patrocinari Manutio conatus fuiſſem, aliquid ei opponendo, aut ſaltem eam eleuādo: nūc fateor me tot rationibus non premi ſolùm ſed etiam opprimi. PAV. Quid ſi igitur egomet in alteram partem diſputem, atque ex accuſatore defenſor fiam? AN. Caue ne poſtea præuari-

cator audias. DI. Imò non audies præuaricator, ex me quidem certè. PAV. Dico itaque pro Manutio facere quẽdam locum epiſtolarum ad Atticum. DIO. Malè ſit illi loco, qui laborãti Manutio ſuppetias nõ venerit. PAV. Is eſt in epiſt.ſexta lib.quarti, *Ego uerò, qui, ſi loquor de rep. quod oportet, inſanus: ſi, quod opus eſt, ſeruus exiſtimor: ſi taceo, oppreſſus & captus: quo dolore eſſe debeo? quo ſum ſcilicet. hoc etiã acriore, quòd ne dolere quidem poſſum, ut non ingratus uidear.* DI. Pulchrum ſanè defenſionis initium: pergé quo cœpiſti pede. PAV. Imò mihi idem contingit in hac Manutij defenſione quod cuidam apud Eubulum comicum: qui quum ſe fœminarum defenſorem aduerſus quoſdam genus omne peroſos fœmineum (cur enim Virgilianis non vtar verbis?) profeſſus eſſet, atque adeo patrocinium illarum ſuſcepiſſet, tandem vbi duas bonas duabus malis oppoſuit, bonas iã ſibi deeſſe fatetur quas allegare poſsit, contrà autem alias malas non eſſe tãtùm ſibi ſed etiam ſupereſſe. D. Locũ illũ comici ne nobis inuideto Paule. aptiſsimum enim fuerit iſtud huic noſtrę diſputationi, alioqui parum ſuaui, ἐπεισόδιον. A. Idẽ ego à te contendo, Paule. P. Ea lege recitabo vt ſi interim obliuiſcar quò eſſet deductus ſermo noſter, mihi in memoriam

reuocetis. AN. Accipimus conditionem:

Ὦ Ζεῦ πολυτίμητ᾽, εἶτ᾽ ἐγὼ κακῶς ποτὲ
Ἐρῶ γυναῖκας, νὴ Δί᾽ ἀπολοίμην ἄρα,
Πάντων ἄριστον κτημάτων. εἰ δ᾽ ἐγένετο
Κακὴ γυνὴ Μήδεια, Πηνελόπεια δὲ,
Μέγα πρᾶγμ᾽. ἐρεῖ τις ὡς Κλυταιμνήστρα κακή;
Ἄλκηστιν ἀντέθηκα χρηστήν. ἀλλ᾽ ἴσως
Φαίδραν ἐρεῖ κακῶς τις· ἀλλὰ νὴ Δία
Χρηστή τις ἦν μέντοι. τίς εἰμὶ δείλαιος·
Ταχέως γέ μ᾽ αἱ χρησταὶ γυναῖκες ἐπέλιπον;
Τῶν αὖ πονηρῶν ἔτι λέγειν πολλὰς ἔχω.

DI. Eoſdem verſus lubenter Latinè redditos legerem. PAV. Tu tibi & nobis illos redde, qui in multis aliis id præſtitiſti. DI. Id nunc à me exigendum non eſt. PAV. Ne à me quidem. AN. Hanc litem facilè dirimam. indicabo enim vbi eorum interpretationem ſitis inuenturi. D. Vbinam? A. In libello Henrici Stephani, qui inſcriptus eſt *Comicorum Græcorum ſententiæ*. PAV. Statim igitur illā vobis ſuppeditabo. Tu Dionyſi illos verſus recita.

D. *Malam ſupreme Iuppiter peſtem oppetam,*
Verbis mulieres proſequar ſi unquam malis,
Poſſeſſionem mulieres longè optimam.
Medea ſeſe, fateor, improbè gerit,
Penelopam habes uirtute laudatiſſimam:
Mala eſt Clytæmneſtra? eſt at Alceſtis proba.
Phædrámne damnas? aliam ei opponam probā.

Quid

Quid heu miſer faciam? ecce, iam deſunt bona,
Quum tot malarum millia in promptu ſient.

A. Iam verò Paule expone nobis cur tibi idē quod iſti dicas cōtingere in defenſione Manutij. P. Quia vnico qui pro eo faciat loco allato, alii ἐπιλείπουσιν (vt ipſius comici verbo vtar) at eorum qui illi aduerſantur, ἔτι λέγειν πολλοὺς ἔχω. Sed quum paſsim occurrāt, nihil neceſſe videtur eos afferre. Paſſim enim leguntur iſta, *In mœrore eſſe*, *In dolore eſſe*, *In luctu eſſe*. Itidémque *In ſqualore eſſe* dicitur: & *In ſqualore & luctu eſſe*, in epiſtola Metelli. Quinetiam *In lacrymis eſſe* alicubi me legere memini. A. Miror an Manutius perſuadere nobis voluiſſet, Ciceronianè dici itidem poſſe, *Eſſe mœrore*, *Eſſe luctu*, &c. vel, *Eſſe magno mœrore*, *Eſſe magno luctu*. P. Hęc dici poſſe ait, ſed illa nō itē. DI. Ille ſaltē locus epiſtolæ ad Atticū aliquātū eius cauſam adiuuat, *quo dolore eſſe debeo?* A. Sed quis præſtabit ſcriptū ita fuiſſe à Cicerone? non autē, *in quo dolore*, vel, *quo in dolore*. Quòd ſi etiam daremus, ita eum ſcripſiſſe, videtur tamen neſcio quomodo tolerabilior in huiuſmodi loco præpoſitionis ellipſis. P. Vt videatis quàm bona fide Manutium velim defendere, addam exemplū illius ellipſeos quod mihi nunc primùm in mentem venit, ex Cœlio initio cuiuſdam

epiſtolæ, *Qua tu cura ſis, quod ad pacem prouinciæ tuæ finitimarumque regionum attinet.* A. Non multũ prodeſſe poteſt Manutio hoc exemplum: primum quòd videatur poſſe magis ferri Magna cura eſſe, pro In magna cura eſſe, quàm Magno dolore eſſe: deinde quòd ex Cicerone nõ ſit, ſed ex eo ſcriptore cui adeo ſermonis aſperitatem obiicit ipſemet Manutius vt vix pro Latino habere videatur. D. At mihi iam ſuccurrit aliquid quod Manutii cauſam ſubleuare poteſt: nimirum iſtud loquendi genus apud Terentium, Eunucho,

Ille ubi miſer, famelicus, uidet me eſſe tanto honore,
Et tam facilè uictum quærere, &c.

A. Vide ne in Manutij gratiam nobis coneris imponere. ſcio enim & aliã ibi lectionẽ eſſe. Et verò fidem tibi non habebo, ſed locum adibo. P. Ego quoque locum illum aliter ſcriptum legiſſe mihi videor: quòd ſi tamen vno hoc modo ſcriptus extaret, parum aut etiam nihil Manutio patrocinaretur. A. Aſpice aliam ſcripturam, bone vir, *-uidet me eſſe in tanto honore.* Leguntur verò & accuſatiui, non ablatiui, in quibuſdam libris: ſed cum præpoſitione itidem, *-uidet me eſſe in tantum honorem.* In qua lectione redeo in memoriam cuiuſdam loquendi ge-

neris, *In poteſtatem eſſe*, pro In poteſtate eſſe, quod Gellius ex Cicerone affert. A. Etiã ſi nulla eſſet alia loci illius ſcriptura quàm quæ à te allata eſt Dionyſi, minimè tamen Manutio patrocinaretur (vt etiam à Paulo dictum eſt) quum nulla ſit inter hoc loquendi genus & alterum illud analogia. P. Vt tandem huic de loco illo epiſt. IIII, lib. VI, finis imponatur, ſi certa incertis cõmutãda ne in ſermone quidẽ ſunt, multo ſaltẽ tutius eſſe dico ita loqui, Eſſe in dolore, Eſſe in mœrore, quàm Eſſe dolore, Eſſe mœrore. Idem autem mihi placere intelligitis, & vbi alij eiuſdem generis ablatiui adhibẽtur: cuiuſmodi ſunt illi, Luctu, Lacrymis, Squalore. DI. At mihi tamen negare non auſis, Paule, ſæpe omitti hanc præpoſitionẽ *in*. PAV. Nolim certè hoc negare: ſed quid hoc ad rem, ſi in quamplurimis aliis loquẽdi generibus ſubaudiatur quæ aut nullam aut paruam cum hoc affinitatem habeant? Fateor alioqui,

Conſcriptum lacrymis mittis epiſtolium.

(vbi nõ minus *in* quàm *cum* ſubaudiri poſſe dixerit fortaſſe quiſpiam: licet hanc præpoſitionẽ ipſe ſubaudiendam potius quàm illam iudicem) apud Catullum legi: fateor apud Tibullum legi *tenebris*, & ſtatim pòſt *in tenebris*, eadem ſignificatione,

En ego quum tenebris tota uagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit eſſe Venus.

Fateor (inquam) in aliis multis & horum & aliorum poetarum locis hanc præpoſitionẽ ſubaudiendam (vt loquuntur grammatici) relinqui. DI. Sed cur poetarum mentionẽ facis, quũ huius ἐλλείψεως multa etiam apud ſolutæ orationis ſcriptores exempla occurrant? PAV. Non tantùm quòd apud illos certiora ſint huius rei quàm apud hos exẽpla: (quum plerunque, videntes eam particulam de qua nunc agimus, non potuiſſe verſum ingredi, ex fide veterum exemplarium pẽdere non cogamur) ſed etiam quòd frequentiora, & quidem in nonnullis etiam locis vbi hi prætermittere illam auſi minimè fuiſſent. Quòd ſi ex ſoluta etiam oratione à me quæpiam afferri velis, non longè, ac ne ab illo quidem ipſo Epiſtolarum opere abeundum erit. Nam, vt omittã magis vulgaria, legimus *Secundis rebus* pro In ſecundis rebus, *ſed eſt unum perfugium, doctrina, ac literæ, quibus ſemper uſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modò habere uidebantur, nunc uero etiam ſalutem.* Cui ſimile eſt *Aduerſis rebus*, pro In aduerſis rebus. (quo etiam modo dixit Horatius *Infeſtis* & *Secundis*, ſine adiectione illius ſubſtantiui, pro In aduerſis & In ſecundis: (*Sperat aduerſis, me-*

iii .n

tuit ſecundis Alteram ſortem bene præparatum Pectus) Sic etiam *Ciuilibus bellis* pro In ciuilibus bellis, *Nec id victoris uitio, quo nihil moderatius: ſed ipſius uictoriæ, quæ ciuilibus bellis ſemper eſt inſolens.* Interim tamẽ hoc addo, ex iis locis quibus non reperitur adiecta illa particula *in* nonnullos eſſe qui mihi non minus ſuſpecti ſint quàm ille qui nobis huius ſermonis occaſionem præbuit. Quorũ è numero eſt hic, in vltima libri quarti epiſtola, *Sed tamen etſi antea ſcripſi quæ exiſtimaui te ſcire oportere, tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui, ne quo periculo te proprio exiſtimares eſſe. in magno omnes, ſed tamen in cõmuni ſumus.* Atque hîc videmus ſequi verbũ *eſſe*, ſicut in altero illo vbi *in* deeſſe itidẽ ſuſpicor loco: (vel potius ſicut in duobus illis: quũ etiam illum epiſtolæ ad Atticum locũ *quo dolore eſſe debeo*, ea ſuſpicione non carere dixerim) verùm alij etiam in quibus non ſequitur hoc verbum, in dubiũ vocari poſſunt. Inter quos nõ immeritò fortaſsis hic numerabitur, epiſtolæ XXII, libri XVI, *Tu iſthic, ſiquid librarij mea manu non intelligent, monſtrabis.* Vix enim, vt opinor, alibi, *Mea manu* (id eſt, in iis quæ mea manu ſcripta ſunt) pro *In mea manu*, in eiuſmodi loquendi genere dictum inuenietur. ANT. Diutius in iſtis vel illius vel alius particulæ

minutiis immorandum nõ cenſeo. P. Rem mihi gratam facis quòd meo de illis ſermoni finem iubes imponere. ANT. Sed hinc te ad aliud exemplorũ genus tranſire volo. P. Libétne à præpoſitione ad præpoſitionẽ, ſimulq; ab vno vitio ad illud quod ei contrarium eſt tranſeam? ANT. Quanuis parũ illis delecter exẽplis in quibus de illis particulis agitur (quum ſint orationis velut minutiæ quædam, vt antea vocaui) teneor tamen id audiendi deſiderio de quo te dicere paratum eſſe ais: ideóque dubium tibi eſſe non debet quin me attentum & beneuolum auditorem ſim præbiturus. PAV. Nonne igitur recordaris, *Nec uerbum uerbo curabis reddere fidus Interpres*, ab Horatio dictum eſſe? ANT. Recordor: ſed quorſum hoc me rogas? PAV. Intelliges ſtatim, ſi reſpondere pergas ad ea quæ ex te quæram. ANT. Pergam. PAV. Putaſne minus Latinè loquuturum fuiſſe Horatium, ſi *uerbum pro uerbo reddere* dixiſſet? AN. Puto. P. Quid ſi Ciceroniani Ciceronem ita loquutum eſſe dicant? AN. Probent. PAV. Ego igitur illorum partes ſuſcipiens, hunc affero locum ex libro De optimo genere oratorum. *Conuerti enim ex Atticis duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas orationes inter ſe cõtrarias, Aeſchinis Demoſthenisque: nec conuerti*

ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iiſdem, & earum formis, tanquã figuris, uerbis ad noſtram conſuetudinem aptis: in quibus non uerbum pro uerbo neceſſe habui reddere, ſed genus omniũ uerborum uimque ſeruaui. AN. Sed cur potius *uerbum pro uerbo reddere,* quàm *uerbum uerbo reddere,* eo in loco legam? P. Quid? ſi aliqui ex Ciceronianis vtranque ſcripturam inueniri fateantur, ſed illam, non hanc, Nizolio ſuo placuiſſe, ſibique itidem placere dicãt, an vel muſſare audebis? A. Quaſi verò Nizolio cũ illis ſim emãcipatus. P. Cenſes igitur eſſe illic pleonaſmũ prępoſitionis *pro.* A. Cẽſeo. P. Atqui nõ ſolùm *Par pari referre,* ſed etiam *Par pro pari referre,* dicitur, inquient illi. AN. Imò verò hîc quoque eũdem pleonaſmum eſſe exiſtimo. P. Sed intelligiſne, tam hîc quàm illic eſſe pleonaſmũ quo ipſi ſcriptori vti placuerit (ſcimus enim eos ſicut ellipſes quaſdam, ita etiam quoſdam pleonaſmos ſibi permiſiſſe) an qui ex librariorum aut aliorum errore natus ſit? AN. Hoc equidem non illud pleonaſmi genus intelligo. PAV. Verſum Terentij in auxilium ſuum aduocabunt,

Par pro pari referto, quod eam mordeat.

A. Incertum nimirum incerto probabunt. Quis enim ignorat aliter etiã legi hunc verſum, & abſq; illa particula *pro?* P. Atqui nõ

ſtabit verſus abſq; illa particula. A. Atqui cũ illa non ſtabit Latinitas. D L. Iampridẽ ego veſtras altercationes apud me rideo, ſimúlque Ciceronianorum in quibuſdam timiditatem, in aliis audaciam irrideo. A N. Hîc certè, ſi alibi vſquam, amplam riſus habemus materiam. P. Quid? non te mouebunt vetuſta exemplaria? A. Nihil me vllũ vetus exemplar mouet, vbi ei fidem derogare me Latinitas monet. P. Sed Faërnus quoque ita in ſuis legi teſtatur. A N. Enecas. P. In Mureti quoque editione extat hæc lectio. A N. Enecas. P A V. Quinetiam apud Ciceronem in longa illa ad Lentulũ epiſtola locus hic ita ſcribitur à *Manutio*. A N T. Enecas. P A V. At me enecat tuum iſtud Enecas. A N T. An mauis, Græcè loquens ταυτολογίαν dicam? P A V. Ego neque Latinè neque Græcè mihi iſtud à te velim obiici: ſed ad ea quæ propono reſponderi. A N T. Scio ne tibi quidem ipſi placere talem Latinitati iniuriam fieri: atque hoc à te non minus quàm à me poſſe reſponderi. P A V. Verùm hoc reſponſo contentus eſſe nolim: ſed hoc ſaltem addiderim, vt illi ſua exẽplaria allegant, ita nobis nõ deeſſe quæ allegemus: & ex quibus aliter expleri verſus poſsit quàm interponendo illam præpoſitionem: nimirum legendo, *Tu pater patrie*

ferre, quod eam mordeat. Addo etiam, illorum qui nunc *par pro pari referto* ſcribẽdum eſſe contendunt, ideo minoris ponderis eſſe teſtimonia, quòd inter ſe non conſentiant. Aiũt enim collapſurũ eſſe verſum niſi ſyllabæ vnius addatur ſuſtentaculum: hanc autẽ ſyllabã in veteribus libris eſſe voculam *pro*: ſed cur Muretus, veterum librorum itidem teſtimonio nitens, non tantùm addit *pro*, ſed *mordeat* etiam mutat in *remordeat*? Faërnus autem illam quidem præpoſitionem & ipſe ex vetuſtis (vt teſtatur) libris adiicit, ſed *mordeat* retinet mordicus, & ita vt ne vllam quidem verbi *remordeat* mẽtionem faciat? His & iſtud adiicio: quum à Cicerone verſus hic Terẽtianus vna cum aliis afferatur, & conſenſum exemplarium Ciceronis non videamus accedere, cur non exemplaribus exemplaria opponemus? Hæc autem quum ita ſint, & quum (vt antea dixi) ne in ſermone quidem certa incertis mutanda ſint, ſicut *verbum uerbo reddere*, non *verbũ pro uerbo reddere*, ita *par pari referre*, non *par pro pari referre* dixerim. DI. Verùm quum *verbum uerbo reddere* dices, recentiores editiones potius ſequeris: at quum *par pari referre*, eas potius quæ ſunt vetuſtiores. PA. Ita ſe res habet. DI. Magno igitur opus eſt iudicio, vt harum vel illarum edi-

tionum neque nimia neque nulla ſit apud nos autoritas. ANT. Sed cautio ſimul illis ex quorum officinis recêtiores illæ editiones prodierunt, fuerat adhibenda, vt quum noua quæpiam lectio introducebatur, altera margini ſaltem adſcriberetur. Exempli gratia, in illa editione quæ habet, *quod eam remordeat*, margini adſcribendum fuerat *mordeat*. Quotuſquiſque enim ex iis qui in illa Terentij editione leget *remordeat*, in aliis non *remordeat*, ſed *mordeat*, ſcriptũ eſſe ſciet? PAV. Illam ego diligentiam magno certè emptam optauerim, vt omnibus quorumuis ſcriptorum recentioribus editionibus veteres etiam lectiones (exceptis iis quæ apertè ſunt mendoſæ, & nullius aliquo pretio digni exemplaris autoritate nituntur) margini ſaltem adſcriptæ eſſent. DI. Ego tum demum vetuſtiores editiones aſpernabor, quum talem diligentiam in recentioribus adhibitam eſſe viderim. AN. Si vel in ea editione epiſtolarum Ciceronis qua vti ſoleo, talis ſiue cautio ſiue diligentia adhibita fuiſſet, non orta foret nuper inter me & quendam Lugdunenſem magna de quodam loco controuerſia. DI. Quænam illa fuit? obſecro. AN. Trade mihi ipſum epiſtolarum opus. DI. Accipe. AN. Locus qui illam controuerſiam mouit, eſt in epi-

ſtola x v, libri I x, *Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi eſſe curam meam ualetudinis tuæ, quam tibi perſpectam eſſe gaudeo: ſed mihi crede, non perinde eſt*, &c. D I. Quæ autem de hoc loco erat quæſtio? vel potius, de qua eius parte diſceptabatis? Quum ille dixiſſet, Ciceronem ita loquutum eſſe, *animum meum circa curam ualetudinis tuæ*, at ego nuſquam apud Ciceronem talem præpoſitionis huius vſum extare affirmarem, editiones duas protulit, ex iis quæ ante multos annos prodierunt, Aldinam & Badianam: in quibus ita legebatur ille locus, *Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi eſſe ſententiam meam, & animum meum perſpectum circa curam ualetudinis tuæ, quam tibi eſſe gaudeo*. D I. Quis hæc deprauatè ſcripta eſſe non videt? A N T. Protulit & tertiam quandam, in qua participium quod in illis duabus, non ſuo loco poſitum, deprauationis huius loci cauſa eſt, ſuo loco redditur, ſimúlque ex maſculino fit fœmininum. ita enim ibi legebatur, *Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi eſſe ſententiam meam, & animum meum circa curam ualetudinis tuæ: quã tibi perſpectam eſſe gaudeo*. Tum verò cœpit me pudere, quòd tam audacter talem præpoſitionis *circa* vſum nuſquam apud Ciceronem comparere affirmaſſem. D I. Idem

igitur tibi apud eũ de illa voce *uti*, quod apud me de nomine *famoſus*, vſuuenit. AN. Fateor, hoc quoque vocabulũ, quod apud eum extare negaueram, fuiſſe mihi ex vetuſtioribus illis editionibus exhibitũ: ſed non perinde hic atque illic auſim fidem illis ſtatim derogare. PAV. Quid? an putas Ciceronem ita ſcripſiſſe? ANT. Scio multos planè alienum à Ciceroniano ſermone hunc prępoſitionis illius vſum affirmare: ſed quid ſi non in hoc tãtùm loco eum habeant veteres editiones, ſed in aliis quoque, qui mutati itidem in recentioribus fuerint? Hoc autẽ facit vt de vera huius loci lectione velim ἐπέχειν, quòd malæ fidei ſuſpicio in duas illas vetuſtas editiones Aldinã & Badianã aut minimè aut multò ſaltẽ minˀ cadit. (nõdũ enim illa cõiecturarũ effrænata licentia in veterũ ſcripta lõgè latéque graſſabatur) &, quod ad recentiores attinet, hæ inter ſe minimè conſentiũt. Hoc etiam me mouet, quòd duriuſculum videtur, *cura mea ualetudinis tuæ*, pro eo quod eſt, *cura mea de tua ualetudine*: quanuis talem genitiui vſum ex alio etiam afferri loco ſciam: quid ſi enim & illius lectio in dubium vocetur? DI. Quod ad illum de quo nunc agitur attinet, diſſentítne in eius lectione editio Lambini à Manutiana? A. Multum: nam Manutius verba

iſta omittit, *ſententiam meam*: necnon iſta, *&* *animum*. Ita enim locum illum edidit vt initio à me recitatus eſt. D I O. Iterum recita, obſecro. A N. *Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi eſſe curam meam, valetudinis tuæ: quam tibi perſpectam eſſe gaudeo.* D I. At Lambinus quomodo illum edidit? A N. *Ex prioribus tuis literis intellexi pergratam tibi eſſe ſententiam meam, & curam valetudinis tuæ, animumque erga te meum, quem tibi perſpectum eſſe gaudeo.* P A V. Nunquam vos ex hac lectionum diuerſitate extricabitis: ideóque locũ hunc miſſum faciendum cenſeo. Sed quàm multis aliis in locis Lambini editionem à Manutiana diſſentire exiſtimas Dionyſi? D. Imò magnum vbiq; propemodum eſſe cõſenſum exiſtimabã. Vnius alioqui loci memini in quo antea illos diſſentire oſtendiſti. P A V. Quinetiam (quod magis mirum eſt) quarundam lectionum hic mentionem facit, quæ illi, ac viciſsim ille nonnullarum quæ huic videntur prorſus fuiſſe incognitę. Exempli gratia, quum epiſtola x x v, libri x I I, non modò hæc lectio afferatur à Manutio, *cæcum tempus ſeruitutis*, ſed etiam iſta, *Græcum tempus ſeruitutis*, à Lambino nulla illius prioris fit mentio: & quum illa, *cæcum tempus ſeruitutis*, ea ipſa ſit quam Manutius ſequitur, Lambinus contrà ſcribit, illi pla-

cere iſtam, ex coniectura Vbaldini Bandinelli ortam, *neceſſarium tempus ſeruitutis*. atque adeo (quod mirum eſt) ipſe Lambinus hanc ſcripturam, *neceſſarium tempus ſeruitutis*, non dubitauit in ipſo editionis Pariſinæ textu ponere, non tanquam ex coniectura profectam, & ea quidem Vbaldini Bandinelli, ſed perinde acſi certiſsimis veterum exemplarium teſtimoniis niteretur. ANT. Sed quî fieri poteſt vt quam lectionē Lambinus non aliunde quàm ex Manutio ſe habere profitetur (qui ſe ei aſſentiri, & cōiecturæ Vbaldini eam ſe debere dicat) & quam ita probat vt ei non aliam ſedem tribuat, quàm ſi in exēplaribus fide digniſſimis inuenta eſſet, eius ne veſtigium quidem vllum vel in editione vel in Scholiis ipſius Manutij extet? PAV. Neſcio an debeam ſuſpicari in prima Scholiorum Manutij editione hoc ſcriptum fuiſſe, & hoc à Lābino inde ſumptū eſſe: ſed in tribus quas habeo editionibus (quarum vna eſt poſtrema) nullam prorſus mentionē illius lectionis fieri ſcio. ANT. Nunquam ego credidiſſem adeo temere lectiones vllas in Ciceronis libros illatas eſſe. DI. Quæ hæc eſt temeritas? Quum enim Lambinus autorē Manutium ſequebatur, non putabat fore vt aliquot poſt annis autoritatem ille deſu-

geret. ANT. Imò etiamſi non accidiſſet vt Manutius poſtea autoritatem defugeret, tamen vel temeritatis vel vtriuſque ſimul Lambinum accuſarem, qui autore Manutio lectioné illá in textum (vt vulgò appellãt) intuliſſet quam niſi aſtipulantibus multis fide dignis exemplaribus inferre illuc non debebat. P. Non de hoc ſolùm ſed de aliis multis excuſari non poſſe Lambinum fateor: multa eſſe interim fatendum eſt quæ eius & perſpicaciam & diligentiam valde commendent. AN. Animaduertítne aliqua quæ à Manutio non item fuerint animaduerſa? PAV. Certè: & quidem nonnulla quæ tãtum virum non animaduertiſſe ſit mirum, cúmque præſertim qui ſibi ſummã Latinę linguę cognitioné paſsim tribueret, & in quibuſdam ad eius proprietaté pertinẽtibus valde religioſum ſe oſtenderet. A. Cedo vnum ſaltem exemplum. P. In epiſtola Plãci cuius initiũ eſt, *Facere nõ poſſum quin in ſingulas res meritaq; tua tibi gratias agã*, habent eius editiones, etiã poſtrema, *Quòd ſi mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias atque etiam pias propinquitates in tua obſeruãtia, indulgentia, aſſiduitate uincam.* AN. Suſpicor in qua voce eius ſiue diligentiam ſiue iudicium deſideres. nam *tui obſeruantia*, non *tua*, vt hîc dicatur, poſtulat Latini ſermonis cõ-

ſuetudo. PAV. Illud ipſum eſt quod ab eo prætermiſſum eſſe miror. Sed conſidera & hunc locum longæ illius ad Lentulum epiſtolæ, *Atque hanc quidem ille cauſam ſibi ait non attingendæ reip. fuiſſe, quòd quum offendiſſet populum Athenienſem propè iam deſipientem ſenectute, quúmq; eũ nec perſuadendo nec cogendo regi poſſe uidiſſet, quum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur.* ANT. Mirabor profectò ſi Manutij etiam editiones hunc locum ita ſcriptum habeant, aut ille non aliquid ſaltem de eius emẽdatione annotarit. PAV. Iam igitur mirari incipe. nã ita in poſtrema etiam eius editione legi, & nihil in Scholiis de illo annotari affirmo. At Lambinus legit, *tum eum nec perſuadẽdo.* & admonet quibuſdam placere, *quum eum non perſuadendo, ſed cogendo,* &c. alios præcedentia non mutare, ſed tantùm in fine, pro *quum perſuaderi*, legere *quem perſuaderi.* A. Hîc quoque diligentiorem fuiſſe videmus Lambinum: ſed non valde mihi arridet quæ ab eo reponitur lectio: ac malim vocẽ hanc *quúmque* tollere, quàm in aliã mutare. Si tamen ex tribus illis emẽdationibus vnam eligere neceſſe ſit, primam illam, quæ ipſius eſt, aliis prætulerim. nam quod ad ſecũdam attinet, eam ſequendo, nõ minus pendebit oratio, at ſi tertiam ſequentes, mutẽmus

quum

quum poſtremo loco in *quem*, non videtur tam aptus poſſe ſenſus elici. quia exiſtimo hac poſtrema parte rationẽ reddi ei⁹ quod dixit, cũ nec perſuadẽdo nec cogendo regi poſſe. perinde ac ſi diceret, Quia perſuaderi quidẽ poſſe diffidebat, cogi autẽ fas eſſe nõ arbitrabatur. Fateor tamẽ poſſe defendi & illã emẽdationẽm, ſi *quem* accipiatur pro Quippe quem. ANT. Quæ à te affertur emẽdandi huius loci ratio, mihi quoque, vt magis ſimplex, magis placet. ANT. Sed exempla quædam velim à te addi eius diſſenſionis quam alicubi inter Manutii & Lambini editiones eſſe paulo antè aiebas: verùm in locis qui eiuſmodi ſint vt ſincera lectio facilius ab altera internoſci poſsit. PAV. Placétne ex iis locis proferã vbi ipſam ſermonis Latini conſuetudinem, & quidem Ciceroniani, ſumere iudicẽ oportet? ANT. Placet. PAV. Sed breuitati ſtudebo. iam enim hora inſtat qua mihi ad quendam amicum proficiſcendum eſt. AN. Ne breuitas quidem diſplicebit. PAV. Illud Ciceronis epiſtolarum volumẽ quod verſare ſoleo, memoriæ meæ velut familiarius eſt: quinetiam quibuſdam locis à me diuerſitas illa margini eſt adſcripta. ideóque à me potius quàm aliud accipitur. Vide igitur hunc locum, *Etſi omni tempore ſumma ſtudia officii mutuò in-*

ter nos certatim conſtiterunt, pro noſtra inter nos familiaritate. Ita quidem hæc Manutij editio: at Lambinus *ſumma ſtudia officiaque mutuò inter nos*, &c. A. Magis mihi placet Lambini lectio. PAV. Alium vide locum. *Scripſi etiã uerſibus tres libros de tẽporibus meis: quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem. ſunt enim teſtes & erunt ſempiterni meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis. Sed quia uerebar, non eos qui ſe læſos arbitrarentur (etenim id feci parcè & molliter) ſed eos quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. Quos tamen ipſos libros*, &c. In fine huius loci poſt verbum *nominare*, videri ſubaudiendũ *non miſi* Manucius annotat: at verò Lambini editio, hæc verba *non miſi*, in ipſum (vt vocamus) textum recepit, ne facta quidem alterius lectionis mentione. ANT. At ſi abeſſet *quia*, tum hæc quoque verba poſſent abeſſe. PAV. Poſſent: atque adeo ita ſcriptum eſſe memini in Badiana editione. Eodem modo eſt ellipſis verbi *faciamus* in iſta Manutij editione, hoc in loco, *Sed ridicula miſſa, præſertim quum ſit nihil quod rideamus*: (quanuis in margine non idem faciat quod illic, vt de verbo quod ſubaudiẽdum eſt admoneat) at Lambini editio habet verbũ illud *faciamus*, habet verò & ex vetuſtioribus Aldina atque Badiana. ANT. Valde

inſolens profectò genus ellipſeωs habet ibi illa editio Manutiana. PAV. Magnum in diſcrimen venerunt & quædam libri XIII verba. AN. Quod periculum illis impēdebat? P. Ne à Manutio auita ſede exturbarētur. Sed quæro locum. Proh, quid video! In hac certè poſtrema editione auſus eſt Manutius facere quod in præcedētibus minari tantùm videbatur ſe facturũ. extruſit enim illa. Legitur enim hîc, *magnum tamen eſſe ſperauit apud te meas quoque literas. id cùm ipſe, vti iudicabat,* &c. A. Neſcio quæ ſint illa verba; ſed durè hoc dici animaduerto, Sperauit meas literas eſſe magnum apud te. P. Verba illa erant, *pondus habituras.* Ita enim non in Lambini ſolùm editione, ſed in aliis etiā quę illa nō multo ſunt priores, necnon in illis vetuſtioribus, Aldina & Badiana, ſcriptus eſt hic locus, *magnũ tamen eſſe ſperauit apud te meas quoq; literas pondus habituras.* niſi quòd aduerbium *quoque* ab his duabus abeſt. A. Nullámne in ſuis Scholiis huius eiectionis illorum vocabulorum mentionem facit? P. Nullā. A. Video hāc eius audaciam ſtomachũ tibi facere: ſed perge tamen, obſecro. P. Non equidem tam audacem illum fore putaſſem. Sed pergam. recordor enim cuiuſdam loci vbi vel ob vnā monoſyllabam voculam excluſam, durum

quoddam loquendi genus & inſolēs (cuius factā eſſe à nobis puto mentionē) Ciceroni affingitur: *Peto igitur à te maiorem in modum, quod ſine tua moleſtia fiat, ut te ei de habitatione accommodes.* D. Memini nos de hoc loquendi genere, vſurpato à quodā Ciceroniano, riſiſſe. P. Sed fatendum eſt, ne in Lambini quidem editionē fuiſſe receptam illam particulam. nam & ibi ſcriptum eſt, *ut ei de habitatione accommodes.* quum tamen vel hic locus eiuſdem ſcriptoris & Manutiū & Lambinum monere debuerit: *primùm ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua dignitaſque patietur.* facilius enim, ſi conſuetudinem ſermonis Latini cōſideremus, ab hoc quàm ab illo loco poſſe pronomē illud abeſſe dixerimus. A. Hoc alioqui fateris, in aliis huiuſmodi locis vbi minimum ſcripturæ diſcrimen maximum aut ſaltem non paruum errorem affert, quod ad Latinitatem attinet, maiorem à Lambino quàm à Manutio fuiſſe adhibitam diligentiam. PAV. Malo teipſum ex iis quos attuli locis iudicium ca de re facere. Audiuiſti enim paulo antè, apud Manutiū legi *in tua obſeruantia*, vbi niſi legamus *in tui obſeruantia*, quoddam ſibi peculiare ius Latinitatis allegare Manutiū neceſſe fuerit. Vt autē à pronomine ad pronomen veniā, ſcriptū eſt apud eundē, lib. XIII,

Teſtimoniũ meum de eo iudicii, quod & ipſe magni æſtimabat, & ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Aut enim valde fallor, aut Latinitatis regula non patitur Ciceronem ita loqui, ſed eum iubet dicere, *Teſtimonium mei de eo iudicij.* A. Velim te, Paule (niſi moleſtum eſt) ſicut oſtendiſti modò Lambini editionem habere quædam verba quæ abſint à Manutiana: ita viciſsim proferre aliqua quæ quum in Manutiana ſint, in illa nõ legantur. PAV. Audi igitur locum epiſtolæ cuiuſdam libri XVI, (quanuis ſit epiſtola non Ciceronis, ſed eius filij) *Nam cùm omnia mea cauſa velles mihi ſucceſſa, tum etiã tua,* ita vides legi apud Manutium: at Lambini editio (loquor autem ſemper de ea quæ illo ſuperſtite prodiit) nõ habet illa verba, *mihi ſucceſſa.* A. Ne Latinum quidem eſſe crediderim ſermonem, ſi hæc addantur. P. Imò & nomen *omnia* poteſt abeſſe ab hoc loquẽdi genere. Et verò ſi contentioſus eſſem, in dubium vocarem lectionem cuiuſdam loci, qui eſt libro XIII, *Accedit eò quod Varro Murena magnopere eius cauſa vult omnia:* quoniam videmus in aliis quamplurimis locis dici duntaxat, Velle alicuius cauſa. A. Sed quid ſi contrà deeſſe locis illis vocem *omnia* aliquis reſpondeat? DI. At ego minus religioſus eſſe volo: vt mihi plura ſuppetant

loquendi genera eodem pertinentia: Volo tua cauſa: vel, Volo omnia tua cauſa: vel, Volo omnia tua cauſa tibi ſucceſſa. ANT. Noli nos interturbare iocator. D. Nihil igitur alienũ ab arte mea facio ſiquid iocor. Sed viſne, Paule, me iocos non interponere? tuum ipſe iudicium de iis quas affers adeo diuerſis lectionibus interpone. tum enim me valde attẽtum auditorem habebis. P. Imò non alium quàm te iudicem ſumimus. D. Tu qui iocari mihi non permittis; ne reſpondere quidem ſine ioco mihi potes. AN. Idem à te, Paule, contendo quod Dionyſius. PAV. Quid ſi potius de lectionibus illis ſtemus iudicio ſiue arbitrio aliorum eiuſdem ſcriptoris locorum, tanquam bonorum virorum? AN. Vtinam verò tibi aliquos ſuggerat memoria quorũ collatio cõtrouerſiam diiudicet. P. Illam ſpero id facturam. ad eum ſaltem locum quod attinet, cui Manutius verba illa detrahit, *põdus habituras*, ſcribens, *magnum tamen eſſe ſperauit apud te meas quoque literas*, duos mihi eiuſdem ſcriptoris, eiuſdémq; libri XIII. ſuggerit memoria, qui ſtatim litẽ diriment. Vnus enim illorũ hæc verba nobis exhibet, *Gratiſſimum mihi fecæris ſi intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuiſſe*. Alter verò iſta, (in quibus ſuas literas, nimirũ

commendatitias, magnum pondus habere itidem cupit) Sed *quũ ſibi ita perſuaſiſſet ipſe, meas de ſe accuratè ſcriptas literas maximum apud te pondus habituras.* Afferat iam aliquis locos qui pro lectione Manutij facere itidẽ dici poſsint. ANT. Nuſquam, opinor, aliquis ille comparebit. PAV. Quòd ſi mutare lectionem receptam volebat Manutius, ſaltem non *magnum* ſed *magni* ſcribere debebat (quod ex quibuſdam ſcriptis exemplaribus allatum vidi) fuiſſet enim hæc lectio, ſi ne ipſa quidem ſincera, ſaltem ἀνεκτὴ μετρία, quoniam ita loquutus eſt Antonius in quadam ſua epiſtola, quæ eſt inter Ciceronianas ad Atticum, libro x, *ſed quia te nimio plus diligo, non poſſum diſſimulare, mihi famam quoque, quamuis ſit falſa, magni eſſe.* Sed eo magis locus hic σὺν πολλῇ ἐπιεικείᾳ Manutio fuiſſet, quòd controuerſa ſit eius lectio, & Lambinus ſcribat, *magnæ curæ eſſe.* vt omittam, nõ poſſe dici, illud *magni eſſe*, ſimili loco adhiberi. AN. Nónne libet idẽ beneficium in illum primum conferre locum, quod in hunc contuliſti? PAV. Quem? A. In quo Manutium *ſtudia officit*, Lambinum, *ſtudia officiáque* ſcribere dicebas. PAV. Atqui ex Ciceronis epiſtola non eſt, ſed Lepidi. A. An ideo beneficus in locũ illum eſſe non vis? PAV. Nõ ideo hoc dico, ſed quòd

verear ne ſi ex aliis locis probauero magis Ciceronianam eſſe alterã lectionem, (quũ libri XII, epiſt. XXIIII, ſciam ſcriptum eſſe, in ipſius etiam Manutii editione, *ſed mea ſtudia erga te & officia malo tibi ex tuorum literis quàm ex meis eſſe nota.*) aliquis pro Manutio reſpondeat, non eſſe exigendum ſermonem Lepidi ad normam & regulam Ciceroniani. Fortaſsis etiam fuerit qui ſi incidat in quendam libri quinti locum, vbi Cicero ita loquitur, *ego uerò tibi profiteor atque polliceor eximiũ & ſingulare meum ſtudium in omni genere officij, quod ad honeſtatem & gloriam tuã ſpectet*, hæc verba, *meum ſtudium in omni genere officii*, arripiat tanquam lectioni Manutij auxilium latura: ſed vereor ne hæc quoque ἐπικουρία ſit συκίνη, vt Græco iterum prouerbio vtar. A. Talia certè potius examinare decebat Manutiũ, quàm certamẽ aduerſus quoſdã Ciceronis locos ſuſcipere, qui per alios antea quieti erãt, & fortaſſe quieti manere debebant. P. De quibus loqueris? A. De iis omnibus (exempli gratia) in quibus ſcriptum eſt *non modò non*. ex omnibus enim eradendum eſſe *non* contendit. P. Me verò aduerſus quos certamen ſuſcepiſſe putas? A. Interrogãdus potius eſſet Dionyſius. eſt enim multo quàm ego μαντικώτερος. Ignoſcat ille: dicere enim volebam μαντικώτερος. Imò non

nō recordabar illum *μαίνιν* quidem eſſe, ſed *ψευδόκαντιν*. Tu igitur ne illius quidem diuinationē expecta. P. Illi certè loci qui iampridem à me oppugnantur, & quos tandem expugnare cupio, (quanuis Ciceroniani tuta omnia illic eſſe arbitrentur) illi ſunt qui particulā *quo* pro *quòd* receperunt: quorum vix credas quanta ſit multitudo. Ex illis eſt hic qui librum vndecimum claudit, *etſi more magis hoc quidem ſcribo quàm quo te admonendum putem*. Ita enim non ſolùm Manutij & Lambini, ſed aliæ quoque editiones, & quidem in his vetuſtiores etiam illæ, Aldina & Badiana, ſcriptum habent. ANT. Non aduerſus multos tātùm locos, ſed penè innumerabiles eſt tibi certamen, in quibus eodem munere illa particula fungitur. PAV. Hoc ſcio: ſed machinam quandam quæro, quam ſimulatque inuenero, omnes facilè expugnabo. Quæro enim locum quendam, vbi eadem periodus & *quo* habet & *qua*, in vna eádemque ſignificatione. Vnde patere poteſt (meo quidem iudicio) *quòd* in omnibus eiuſmodi locis ſcribendum eſſe: quum nihil aliud vna particula quàm altera ſignificetur.

DI. Quandoquidē ſermonē hunc ingreſſus es de locis nō iam Lābino vel Manutio, ſed tibi ſuſpectis, nunquam hodie effugies

quin quatuor ſaltē aut quinque adieceris ei de quo à te facta modò fuit mētio. Imò verò ne numerandus quidē ille fuerit: quum monadem quidam philoſophi non numerum, ſed velut ingreſſum ad numerum eſſe voluerint. PAV. Non te pudet monadem dicere de locis quos ipſemet propemodum innumerabiles eſſe modò fatebaris? D. Nō ego, ſed Antonius. & iam apertè cauillaris, qui locos etiamſi plurimos, at eiuſdē omnino generis, ac (penè dixerim) eoſdem, pro diuerſis haberi velis. ANT. Non graue imponit tibi onus Dionyſius, qui quinque ad ſummum velit à te adiici. Verùm illos non ad vnum (vt ille dixit) ſed ad multos additurum eſſe fateor: quum multos iam tibi ſuſpectos eſſe oſtenderis, in quibus Lambino pariter & Manutio omnia tuta (vt paulo antè loquebaris) eſſe viſa ſunt. P. Vis eſt hæc quidem: præſertim quum Dionyſius nullum mihi, ſi imperiū detrectauero, patere effugium dixerit. Saltem igitur in illis βραχυλογεῖν per vos mihi liceat. A. Licebit. PAV. Hunc quæſo locum ambo conſiderate. ANT. *Sic tibi mi Pæte perſuade, me dies & noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei ciues ſalui liberique ſint. Nullum locum prætermitto monendi, agendi, prouidendi.* Nihil ne vobis ſuſpectum hîc eſt? D. Mihi quidem

certè nihil. A. Ne ego quidem hoc in loco quicquam animaduerto quod ſuſpectũ eſſe debeat. PAV. Ergo per vos, ſicut & per Manutiũ atque Lambinũ, intactus manebit hic locus: at non per me. nam pro *agẽdi* ſcribẽdũ ſuſpicor *urgendi*: hoc modo, *Nullũ locũ prætermitto monendi, urgendi, prouidendi.* Quæ autem ad hunc locum ita mutandum me mouent, ideo non addo, quòd vobis poſtea locum hunc attentè expendentibus in mẽtem ventura ſperem. A. Subitò igitur tranſi ad alium, dum te Dionyſius non interpellat. P. *Incidunt autem in ſermone vario multa, quæ fortaſſe illis, quum dixi, nec illiterata nec inſulſa eſſe videantur.* De hoc etiam loco ſcire velim quid vobis videatur. A. Hic quoque ſuſpectus mihi non eſt. D. Ne mihi quidẽ. P. Ego igitur hîc quoque ſum vtroque veſtrûm ſuſpicacior, non tantùm Lambino & Manutio. Nam hæc verba, *quum dixi*, inſulſum eſſe pleonaſmũ dico: ideóque repono *quos dixi*. AN. Perge Paule, perge, dum Dionyſius te non interpellat: & hoc tempus quod tibi quietum eſſe ſinit, in magno lucro deputa. P. Feſtino quantum poſſum. Sed vos hunc ſaltem locum attẽtius quàm præcedentes examinate. *quotidiéque fit aliquid lenius & liberalius quàm timebamus.* AN. In hoc aliquid perſpicere mihi videor quod

non bellè habet. Cur non enim *ſperabamus* potius quàm *timebamus* dicit? Nam ſi præceſsiſſet, Quotidiéque fit aliquid minus aſperum, rectè ſubiungeretur *quàm timebamus:* ſed quum præcedat *lenius*, non videtur hoc verbum ſatis aptè ſequi. DI. Nónne *lenius* in illa verba, Minus aſperũ, reſolui poteſt? P. Certè: ſed interim vox Minus dat quodammodo locum illi verbo Timebamus. Alioqui nónne fateberis & ipſe rectè loquuturum me, ſi, *quotidiéque fit aliquid lenius & liberalius quàm ſperabamus*, dixero? D. Fatebor. ſed putáſne potuiſſe irrepere *timebamus* pro *ſperabamus*, quum non modò valde diuerſæ ſed cõtrariæ etiam ſint hę voces? PAV. Haud certè tantam immutationem fieri volo: ſed tãtùm addi particulam *quod* ante verbum *timebamus*. vt legatur, *quotidiéque fit aliquid lenius & liberalius quàm quod timebamus*. perinde acſi diceretur, Aliquid lenius & liberalius quàm fuiſſet illud quod timebamus. Cõqueri ſaltem neminem pa erit de hac immutatione, tanquam audaci. PAV. Iam verò & alius quidam locus cui adhibita eſt eadem illa particula, mihi eſt ſuſpectus. Eſt autem hic, *Totum denique hominem tibi trado de manu (ut aiunt) in manũ tuã iſtam & uictoria & fide præſtãtem. Sumus enim putidiuſculi quàm per te uix licet. uerùm, ut, ui-*

deo, licebit. ANT. Quid te hîc offendit? P. Duriuſculè mihi videtur dici, *Putidiuſculi quàm vix licet.* quum alioqui abſque illa particula *vix* talem horum nominũ, quæ velut diminutiua ſunt comparatiuorum, exemplis non carere fatear. DI. Non negas tamen poſſe dici, *Putidiuſculi quàm vix licet.* P. An qui duriuſculè aliquid dici ait, id poſſe dici negat? AN. Dic obſecro, Paule, quomodo poſſe legi hunc locum exiſtimes, vt vitetur illud genus loquendi, quod meis quoque auribus eſt inſolens. PAV. Ne hũc quidem locum valde velim immutare: ſed tantùm ex *quàm* facere *quod.* Atque hunc errorem (ſi error ſit: qua de re ἐπέχω) natum eſſe crediderim ex ea quæ inter duas compendiarias notas eſſet affinitate: quarum vna *quam*, altera *quod* ſoleret ſcribi. Hæc autẽ lectio non ideo tãtùm mihi placeret quòd illud genus loquendi vitaretur (quum in dubio relinquam, Latinitati Ciceronianæ cõueniat, nécne) ſed etiam quòd quum ita loquor, Sum putidiuſculus quàm per te liceat, non nego mihi licere per te putidum eſſe: ſed dico non licere eſſe tam putidum: at Ciceronem minimè credibile eſt ſignificare voluiſſe, licuiſſe ſibi per Cæſarem aliquantulũ eſſe putidum. Sic ſanè De officiis lib. I, *ne aut obſcurum eſſet, aut nimis putidum,*

quædam editiones habent: atque ita ſcriptum Manutius hunc locum affert: quũ tamen abeſſe debeat aduerbium illud *nimis:* vt legatur, *ne aut obſcurum eſſet aut putidum.* DI. Sed quidnã, quæſo, vox *putidiuſculi* hoc in loco ſibi vult? PAV. Videamus expoſitionem Manutij: cui aſſentiar, aut meam & ipſe afferam. DI. Excuſat ſe Cicero (inquit) quòd in Trebatio cõmendando plura verba conſumpſerit quàm Cæſaris humanitas patiatur. Putidum enim appellat Cicero in quo nimia diligẽtia reprehendi poſsit. Hæc eſt Manutiana expoſitio: iam tu aut ai, aut nega. P. Nego certè hãc eſſe Ciceronis hoc in loco mentem: & in eam partem peccaſſe dico Manutium in quam multi peccant, dũ aliquos paulo difficiliores locos explanãt: vt eorum quæ ſequuntur rationem non habeant, & an ea conſentiant, minimè perpendant. Dico enim Manutium hîc non animaduertiſſe ſuam expoſitionẽ non conſentaneam eſſe his quæ ſubiunguntur, *verùm, ut video, licebit.* Alioqui perinde eſſet ac ſi diceret Cicero, Pluribus verbis & diligẽtius Trebatium tibi commendo quàm humanitas tua patiatur: ſed, vt video, ita eum à me commendari patietur. ANT. Aut ego tecum fallor, aut hoc, quod tamẽ eſt abſurdum, illam expoſitionem conſequitur.

Sed quænam afferri poſſe videtur quæ vtrique membro quadret? P. Me hærere fateor:quòd inuenerim quidẽ aliam exponẽdi huius loci viam, in qua vtriuſq; membri orationis huius ratio habetur,ſed verear ne audacula habeatur. A. Audaculã eſſe ſatius eſt, quàm eiuſmodi ex qua aliquid abſurdi conſequatur. P. Vide igitur ánnon potius exiſtimãdum ſit Ciceronem,quum diceret, Putidiuſculi ſumus,reſpexiſſe ad illa ſua verba, *in manũ tuam iſtam & victoria & fide præſtantem.* quoniam illa verba, *ſumus enim putidiuſculi*,proximè ſequuntur. vt perinde ſit acſi diceret, Miraberis, ſcio, vnde hic tam putidus ſermo, quo manum tuam voco victoria & fide præſtantem. Sed quo ſermone per tuam modeſtiam nobis vti nõ licet, tãdem per res à te geſtas, licebit. Q.d.Cogêris tandẽ laudes rebus à te geſtis dignas admittere, etiãſi ab illis tua modeſtia abhorreat. Hanc tamen expoſitionẽ aliis non ſatiſfacere nequaquam mirabor,quum mihi autori minimè ſatiſfaciat. AN. Non iniuria eam fore audaculã dixiſti: ſed tolerabiliorem ſaltem eſſe Manutiana,nemo, vt opinor,negauerit. DI. Nónne vis penſum abſoluere? PAV. Imò abſoluiſſe mihi videor: nec iam ſe alia offert materia. Niſi fortè vis me aliquam dè multis locis men-

tionem addere, aduerſus quos omnes certamen ſuſcepi (vt omnes vnum & idem loquēdi genus habent) ſicut aduerſus eos de quibus antea dictum à me fuit. D I. Quínā illi ſunt? P. Ex quibus perſuadere nobis volūt quidam, Latinè dici poſſe, *Mihi maximæ curæ eſt de hac re.* A N T. Exiſtimatúrne ita loquutus Cicero? P. Certé: & multis quidem in locis, ídque, patiente Manutio. Verùm aliud nunc in mentem mihi venit, quo penſum meum malo abſoluere. Vt enim aliquot locos propoſui qui mihi ſuſpecti ſunt, quum nec Lambino nec Manutio fuerint, ita viciſsim vnum proponam quē Lambinus ſibi ſuſpectum eſſe fatetur: nec dubiū eſt quin & Manutio fuerit: quum tamen mendo prorſus carere cōtendā. A. Quis ille eſt? P. In illa longa epiſtola ad Lentulū quidam eſt locus vbi Lambinus magnum mendum eſſe ſuſpicatur, Manutius autem de eo tacet, nullámque de adhibendo remedio mentionem facit. *Quam cauſa non modò non negabo ſed etiam ſemper & meminero & prædicabo libenter, uſus es quibuſdam nobiliſſimis hominibus.* A N. Tu Manutio ſuſpectum fuiſſe putas, etiamſi de eo taceat? P. Puto. A N T. Non recordaris igitur illius libertatis vtendi ſolœciſmis, de qua paulo antè diſſeruimus? P A V. Recordor: ſed pe-

ior quouis alio eſſet hic ſolœciſmus. DI. At Lambinus quod remediũ adhibet? P. Suſpicatur ſcribẽdum, *te uſum eſſe quibuſdã:* ſi tamen eius eſt coniectura iſta, quæ margini editionis cuiuſdã Pariſienſis eſt adſcripta, poſt eius obitum publicatæ. Eſt autẽ minore (vt vulgò appellant) forma. ANT. Sed quî fieri poteſt vt tibi nullo modo locus hic ſit ſuſpectus? D. Mihi quoque, Paule, in eo ſuſpectus es quòd locum hunc ſuſpectum tibi eſſe negas. P. Cuius hîc rei ego tibi ſuſpectus eſſe poſsim? D. Μαγγανείας, aut, ſi mauis, γοητείας. P. Quid ita? DI. Quia fieri non poteſt quin aliquod μαγγάνευμα loco iſti adhibeas, vt ex ſuſpecto non ſuſpectum reddas. A. Eloquere ſtatim Paule quódnam à te remedium illi adhibeatur, vt hanc maculam eluas. P. Parentheſeως nota vnicum eſt quo hîc vtor remedium: hoc modo, *Qua in cauſa (nõn modò non negabo, ſed etiam ſemper & meminerò & prædicabo libẽter) uſus es quibuſdam nobiliſſimis hominibus*, &c. Sed (vt verum fateár) illa non meum eſt ſed Henrici Stephani inuentum. Editio enim epiſtolarum Ciceronis, quæ nuper ex eius officina prodiit, notam hãc loco illi appoſitam habet. A. Nõ dubito quin habeat & multa alia editio illa, quæ peculiaris cuiuſdã diligentiæ ſint teſtimonia. P. Haberet

q.j.

fortaſſe multa, ſi & ille toti editioni pręfuiſſet, & Manutij lectionibus adhærere neceſſe non habuiſſet. ANT. Non ſatis aſſequor quod dicis. P. Dico illũ toti editioni non præfuiſſe, quòd in aliqua tantùm editionis parte correctioni typographicæ præfuerit: & coactũ fuiſſe eas magna ex parte lectiones recipere quæ in Manutij editione erãt, quũ eius etiam annotatiũculas, ſiue notatiũculas, (quod ipſi Manutio videtur magis placere) margini apponeret. DI. Redeo in memoriam cuiuſdam promiſsi tui, interim dum illarum annotátiuncularum ſiue notatiuncularum mentionem facis: quod etiam implendum tibi eſt, antequam te penſum tuum abſoluiſſe dicam. P. Quódnam illud eſt? D. Te propoſiturum nobis quoſdam vel illarũ vel Scholiorũ locos qui tibi non ſatisfaciant. A. Ego quoque te pollicitum hoc nobis eſſe memini, quum dicerẽ à Manutio accuratiſsimè & doctiſsimè ſcriptas eſſe illas: atque tu id fatereris, eóq; magis te mirari diceres eſſe quædã in illis quæ tuo palato non ſaperent. P. Tum eorum locorum recordabar, poſtea ſum oblitus. Sed vobis indicabo vnde petere quoſdam poſsitis. Ex officina Henrici Stephani, vnà cũ illa epiſtolarũ Ciceronis editione cuius paulo antè mentionẽ faciebam, prodierũt etiam Commentationes diuerſorum (ita e-

nim vocat) in illud volumen. Inter has eſt etiam quidam eius Commẽtariolus De variis generibus epiſtolarum Ciceronis, déq; varia earum ſcriptione. Ibi certè animaduerſiones (modeſtiſsimas quidem illas) in quaſdam Manutij expoſitiones reperietis. DI. Sed nulláſne alias habes?

P. *Habeo. Ah quid dixi habere me? imò habui Chreme:*

Nunc habeam nécne incertum eſt.

DI. Dionyſius vocor, non Chremes: & tuum iſtud ænigma non intelligo. P. Quoniã dũ locos illos memoria mihi ſuggerebat, eos habere me dicere potui: nunc habeam nécne incertum eſſe dico: quoniam haud ſcio an futurum ſit vt vnquam eos mihi ſuggerat. D. Tuum ſaltem conſiliũ de ea quã ſequi debeamus editione operum Ciceronis ne nobis inuideto. PAV. Quod dabit conſilium hac in re - ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός; AN. Multi ſaltem ſunt loci de quibus veterum grammaticorum teſtimonia omnem nobis dubitationem tollunt. PAV. Hoc fateor: ſed alicubi & ipſi ſuſpecti ſunt. ANT. Quî fieri hoc poteſt? PAV. Quòd ne ipſi quidẽ emendatis exemplaribus vſquequaque ſint vſi. Exempli gratia, *adhamauerunt* ex Cicerone affert Nonius, vbi legẽdum exiſtimatur *adamauerunt*. ANT. Quid autem verbo

adhamare vult Nonius ſignificari? P. Obligare. AN. Quid tandem fiet?audaciã enim emẽdatorum multa apud eum deprauaſſe, & pleriſque in locis ex Cicerone Pſeudociceronem feciſſe, nobis iam ſatis ſupérque patuit: & ſunt tamen plena audacium omnia (ſicut Cicero ſtultorum plena eſſe omnia dixit:niſi pro *ſtultorum* ſcribendum eſt *ſed iſtorũ*) quũ Germanos etiã multa ſuo arbitratu auſos eſſe mutare, queratur Manutius. P. Primùm, minus audaciũ ſaltem editiones, inter eas quæ nunc extant, tanquã è duobus malis minus, aliis ſunt præferendæ: deinde in locis illius audaciæ ſuſpectis, ad alios eiuſdem Ciceronis (qui etiam eiuſdem ſint generis) eſt prouocãdum. Alioqui tantã eſſe multorum audaciã fateor, vt quemadmodum moriens quidam de medicis dixit,

Πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδοί μ' ἀπώλεσαν;

ita reuiuiſcens Cicero de ſcriptis ſuis exclamaturus ſit,

Πολλῶν διορθωτῶν θράσος μ' ἀπώλεσε.

Adderem verò illis effrænatæ audaciæ exẽplis & alia, niſi (vt videtis) ad eũ vocarer ad quẽ mihi proficiſcẽdũ eſſe, antea dixi. Quare rogo vt mihi per vos liceat ſermoni iſti finem imponere. AN. Et lubenter hoc permittimus, & magnam pro illis de quibus nos monuiſti gratiam habemus.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE